DISSERTATIO HISTORICO-PHILOSOPHICA DE ATHEISMO.

MVSEVM BRITANNICVM

HISTORIA ATHEISMI

In qua multi Scriptores Vetusti & Recentiores, Impietatis falsò postulati, liberantur à turpi *Atheismi* stigmate: Alii verò qui de supremo Numine sentire videntur minus rectè, corripiuntur meritò.

Authore J. THOMASIO PHILIPPS.

LONDINI,

Sumptibus AUTHORIS, 1716.

DISSERTATIO
HISTORICO-PHILOSOPHICA
DE
ATHEISMO.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

92n

HISTO[illegible]EISMI

In qua multiplices Veritatis & Religionis corruptiones, Impietatis tallo populati, liberantur à turpi Atheismi stigmate: Alii vero qui de supremo Numine fenitre videntur minus recte, corripiuntur merito.

Auctore J. THOMASIO PHILIPPS.

LONDINI,
Sumptibus AUCTORIS, 1716.

Reverendiſſimo in Chriſto Patri, Domino D. GULIELMO Providentiâ Divinâ Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, & totius Angliæ Primati;

NEC NON

Reverendis admodum in Chriſto Patribus, viris Illuſtriſſimis, Honoratiſſimis, Eruditiſſimis, Antiquitate Generis, Mitrâ, Togâ, omnimodo denique Virtutum atque Doctrinarum genere ſplendentibus, *Commiſſariis* Templorum quinquaginta ædificationem, adverſus pravi hujus ſeculi & futuri contagia, procurantibus, Omnibus atque ſingulis,

Hanc qualemcunque Obſequii &

Gratæ Voluntatis Teſſeram, eâ quâ

Par eſt Obſervantiâ, D. D. D.

J. Thomas Philipps.

Ad Lectorem.

ITA fuerunt omni tempore composita Eruditorum Ingenia, ut non modo *Alexandri Magni*, Titi Vespasiani *Cæsaris*, sed & *Neronis*, *Cæsaris Borgiæ*, & *Alexandri* sexti *Romani Pontificis* Historiam Evolvant diligenter, ut illos cognoscernt homines, qui impio ausu, non Amore virtutis, inclaruerunt & ut eo magis sectarentur pietatem & abhorrerent à malo: quo certè consilio, istorum hominum ego composui Historiam, qui publicè de Regum Rege Omnipotenti atque æternо triuno Deo malè senserunt; quorum effata impia, si unquam valerent, omnem rerum humanarum Ordinem inverterent, & ipsum Mundum una communi strage sepelierent. Sed non est hujus Epistolæ (benevole lector) Institutum, ingeminare Bonorum omnium querelas, de hujusmodi hominibus supra sortem humanam ferè sceleratis, sed apud me stat, pauciſſimis quam potero verbis, removere scrupulos ex Divina Providentiâ non ita

benè

benè intellecta natos, qui omni ævo malè habuerunt mortalium animos, multoſque in turpiſſimæ impietatis detruſerunt barathrum. Conturbantur enim, cum aliis Argumentis, tum hoc præcipuè, quod in rebus humanis, multa videntur ſecùs evenire, quàm ipſi divinæ ſapientiæ ac bonitati convenire exiſtimârin: Si humanarum rerum, Inquiunt, Procurationem haberet Deus, foret, ut bonis & piis & Juſtitiæ cultoribus benè cederet, impiis & injuſtis malè. Quemadmodum ſcriptum reliquit Citero. "Debebant illi (Dii) quidem "omnes bonos efficere, ſi quidem hominum "generi conſulebant; ſin minus, bonis certè "conſulere debebant. Cur igitur duos Sci"piones fortiſſimos & optimos viros in Hiſ"pania Pœnus oppreſſit? Cur *Marcellum* "*Annibal* interemit? Cur *Paulum Cannæ* "ſuſtulerunt? Cur *Pœnorum* crudelitati *Re*"*guli* corpus eſt præbitum? Cur *Africanum* "Domeſtici parietes non texerunt? Sed hæc "vetera & alia per multa, propiora vide"amus. Cur avunculus meus, vir innocen"tiſſimus in exilio eſt? Cur ſodalis meus in"terfectus eſt Domi ſuæ *Druſus*? Dies defici"at, ſi velim numerare, quibus bonis male e"venerit: nec minus, ſi commemorem quibus "improbis Optime. Cur enim Marius tam "feliciter ſeptimum Conſul Domi ſuæ Senex "eſt mortuus? cur omnium crudeliſſimus tam

"diu

"diu Cinna regnavit? & multa ejus generis alia. *lib. iii. de natur. Deor.* Hujusmodi Antiquorum & recentiorum Interrogatiunculis, responsiones sunt in promptu, & rationes planè non contemnendæ, ex optimis Auctoribus hic collectæ, quæ & in tuam gratiam proponendæ veniunt, quarum prima est, ne, qui res magnas gerunt, propterea inflentur ac superbiant, sed submittant Animos, memores imbecillitatis suæ. Confirmatur hoc testimonio *Davidis* & *Pauli*, quorum ille bonum sibi fuisse ait, quod à Deo depressus castigatusque sit, seque ex eo magis illius justitiam perspicere: hic autem cum usque ad tertium Cœlum raptus esset, eaque vidisset, quæ vix homini in hac vita videre fas esset, ne propterea sibi placeret, neve insolesceret, additum sibi esse ait Angelum satanæ, à quo quasi colophis Cædaretur. Altera ratio, ne cæteri mortales in errorem trahantur, & de præstantibus viris, non ut de hominibus, sed ut de Deis quibusdam existiment: à cujus erroris periculo liberantur, cum illos magnos & egregios viros multa perperi vident, quæ illos non Deos, sed homines esse declarant. Tertia est ratio, ut potestas Dei magis Elucescat, qui per homines imbecilles, morbis obnoxios, egentes, carceribus & ergastulis clausos, ea faciunt quæ omnium hominum expectationem longè superant. Insuper bonis

viris

viris omnia si prospere succederent, si colerentur ac suspicerentur à cæteris, existimaret vulgus, eos pietatem colere, non suapte sponte, sed illa quasi mercede allectos & invitatos, quemadmodum dicebat Deo, perpetuus ille humani generis hostis, *Non gratis te colit Job.* Porrò res adversæ id efficiunt, ut homines tanto certius atque exploratius habeant, non omnia morte terminari, sed superesse aliam vitam, in quâ præmium tribuatur Justis, & ab improbis exigatur pœna: & quo plura acerba patiuntur boni, quo plures difficultates superant, quo dimicant acrius, eo majoribus laureolis ornabuntur in perpetuum. Hisce paucis, iisque simplicibus rationibus ritè penitratis, evanescent in auram omnes adversus Dei providentiam cavillationes, quæ non sanæ rationi sed inordinatis animi affectibus (Amori sui ipsius cumprimis) originem suam acceptam referunt. Vale.

CON-

CONTENTA.

CAP. I.

DARI posse Atheos speculativos. pag. 2
De naturali notitia DEI. - 4
De variorum authorum sententiis de Atheis. - 5

CAP. II.

De Causis præcipuis Atheismi. 7
De negligentia Theologiæ Naturalis excolendæ. 8
De Superstitione. 9
- variis exemplis. 10
- Theologorum digladitationibus & animorum acerbitate de articulis parvi momenti 13
- Physiologia atomica. 16
- variis Philosophorum veterum sententiis. 17

CAP.

CONTENTA.

CAP. III.

De Characteribus Gentium Atheos agnosci possunt. 23

De triplice genere Atheorum 24

- *Variis divisionibus Atheismi.* ibid.

- *Rabbinorum sententia circa verba initialia Libri Geneſ.* 29

CAP. IV.

De Corruptione animi per fabulas aniles Poetarum. 10

- *Variis Exemplis* 11

- *Thalete.* 32

- *Anaximene.* 33

- *Empedocle.* 35

CAP. V.

De Philoſophis atomicis. 36

- *Variis Exemplis.* 37

- *Illis qui reſurrectionem & animarum immortalitatem negant.* 42

CAP. VI.

De Diagora. 44

- *Protagora.* 45

- *Theodoro*

- Theodoro 48
- Epicuro 52
- Lucretio. 71
- tertio genere Atheismi. 73

CAP. VII.

De Atheis in Italia viventibus 76
- Hermolao Barbaro. 78
- Marsilio Ficino 79
- Angelo Busso. 80
- Petro Pomponatio. 81
- Simone Portio. 84
- Claudio Berigardio Molinensi. 85
- Hieronymo Cardano. 86
- Petro Aretino. 88
- libro de tribus impostoribus. 90
- historiâ Atheorum Italorum. 91

CAP. VIII.

De Atheis in Gallia viventibus. 97
- Julio Cæsare Vanino. ibid.

CAP. IX.

De Bodino. 114
- Thoma Hobbesso. ibid.

CAP.

CAP. X.

De Benedicto Spinosa Principe Atheorum 128
Nobili Polonienſi quodam eſuſque argumentis contra DEI exiſtentiam. 136
Matthia Cnutzen. 139
Joachimo Gerhardo Rom. 143
Mahomet Effendi. 144
Campanella. 147
Et de multis aliis 148

CAP. XI.

De Scriptoribus, qui contra Atheiſmum ſcripſerunt. 148
Atheis, qui conuerſi ſunt. 149

DI-



DIATRIBE
HISTORICO-PHILOSOPHICA
DE
ATHEISMO.
SIVE
HISTORIA ATHEISMI.

CAPUT I.

§. I. MIrè placuit Viris doctis omni tempore ea ratio Controversias tractandi, quæ iis subjungit earum Historiam, quippe quæ plurimùm commodi secum ferre creditur. Videmus enim Scriptorum indolem, vivendi modum, conditionem atque captum illius temporis, quo vixerunt; quales denique habuernut Adversarios, aliasque circumstantias, quæ simul ignorantiam Lectoris, & omne tædium & animi lassitudinem tollunt. Inde est, quod illi libri, qui

de ortu & progreſſu alicujus Sectæ vel Hæreſeos agunt, ſemper in magno pretio ſunt habiti: Pelagianiſmi puta à G. J. Voſſio conſcriptus liber, vel hujus generis alii multò recentiores, ex. gr. Arminianiſmus, Janſeniſmus, Quakeriſmus & Quietiſmus, habuerunt ſuos ſinguli Hiſtoriographos. Ideoque nemo, quemadmodum ſpero, mihi vitio vertet, ſi Hæreſeos maximè omnium deteſtandæ hiſtoriam diligenter pro viribus contexam.

§. II. Sed ab initio eſt ordiendum, ut demonſtremus, & rationibus, & auctoritate Eruditorum, revera dari poſſe tales homines, qui ſibi perſuadeant, nullum eſſe ſupremum Numen, (vel, ut cum Theologis loquar,) dari Atheos Speculativos, contra ſententiam vulgò receptam, quæ aſſerit, nullum poſſe dari Atheum, propriè ita dictum, quia hæc propoſitio *Deus eſt*, cordibus hominum inſcripta, quæ quidem, ut in Atheis practicis, ſepeliri, ſed nullo pacto deleri poſſit. Quod ſi vero Theologi benè attenderent, doctrinam de *Ideis innatis*, neque ſanæ Rationi, neque Experientiæ, neque Revelationi eſſe innixam; non eſſet, quod ita metuerent concedere, Atheos Speculativos aliquando poſſe dari. Innititur potius hæc ſententia Platonicorum decretis, ſtatuentium, æternas eſſe animas, & nihil nos addiſcere de novo, ſed reminiſci. Matthæus Palmerius Italus, non multum abhorruit à ſententia Platonis, cùm ſtatueret, animas eſſe Angelos, qui neque ad bonum, neque ad malum ſeſe determinare voluerint, quamobrem Deus amandaverit eas in corpora, ut aut bono aut malo ſeſe addicerent. Si qua ſint hujuſmodi principia innata, in infantibus utpote nullo vitio acquiſito aut præjudicio infectis, maximè vigere debent; ſed hic contrarium videmus. Infantes enim

chim per aliquot continuos menſes præter ſenſum doloris atque voluptatis, caloris atque frigoris, vel ejus generis perceptiones alias, pauciſſimas exiſtimantur poſſidere ideas; poſthæc verò, cùm organa magis ſunt firma, verſando cùm multiplicis generis objectis, diuturnitate temporis, infinitis fere rerum ideis locupletant animum, atque ex his ratiocinando, formant ſibi qualemcunque Dei Ideam. Sed ne quando Lector hiſce ratiocinationibus meis parùm videatur contentus, Johannis Lockii de *Intellectu Humano*, librum, conſulat velim. Modum acquirendi rerum humanarum atque divinarum Ideas eundem eſſe, neceſſe eſt concedas, niſi fortè duplicem intelligendi facultatem incongruè affirmaveris, unam ad res naturales, alteram ad res divinas intelligendas (de donis ſupernaturalibus non eſt ſermo,) quæ hactenus affirmare ſuſtinuit nemo, cùm contrarium abunde pateat vel ex hac una conſideratione, quod nomina quibus Deus & ejus Attributa ſignificantur, deſumpta ſunt à rebus creatis, & removendo quicquid ſit imperfectionis, & retinendo omnes perfectiones. Ex. gr. Vocamus *DEUM Spiritum*, quæ vox latinè, græcè atque hebraicè denotat etiam *Ventum*, aërem ſubtiliſſimum, cujus proprietates, inviſibilitas, velocitas commodiſſimè Deo poſſunt tribui; unde liquet opus eſſe ut priùs cognoſcam quid ſit *Ventus*. Novi Deum eſſe *Ens* cogitans, ſapiens & bonum, ſed hæc omnia deſumpta ſunt ab humana mente, & ejus actionibus, idem dictum puta de aliis multis Dei attributis, atque appellationibus.

§. III. Docet, fateor, Apoſtolus, *Rom. c.* ii. *v.* 15. eſſe naturalem notitiam Dei, quæ comparari, & cordibus inſcribi poſſit, contemplando opera creati-

onis, ut inde facilè deleri nequeat; non verò quòd ante ullam contemplationem talis fuiſſet inſcriptio, quod ſatis patet ex *capite* primo, *verſ.* 20. *Inviſibilia Dei jam inde à condito mundo, ex iis quæ fecit, mente perpenſa pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia, tum Divinitas.* Neque hilum valebit dicere, Paulum in ſecundo Capite loqui de *Notitia Innata*, in primo autem de *Acquiſita*, cùm ex contextu videre ſit, diſcurſum eſſe continuum & ſcopum eundem, neque Apoſtolum credo fuiſſe ita Metaphiſicis verbis addictum. His ritè conſideratis, non eſt quod affirmare dubitemus, ſubinde inveniri talia hominum monſtra, quæ etiamſi verſpertilionum inſtar, interdiu coram, minimè compareant, nihilominus in tenebris ſecurè circumvolitant. Sed quid multis, eo impietatis à nonnullis ventum eſt, ut verbis, ſcriptis, atque vitæ inſtitutis, certiora ſigna dant ſe nullum credere Deum eſſe, quam multi, qui probi & religioſi haberi volunt, ſe credere eſſe Deum.

§. IV. Sed ne cui parùm probentur argumenta, vocabo in partes Viros Eruditiſſimos. Clariſſ. *Tronchinus* in notis ſuis ad Syſtema Theologicum minus Wendelini Manuſcriptis, diſertis Verbis talia tradidit, *Credimus dari Atheos corde & conſcientia, nempe quando induraverunt corda, eo poſſunt devenire per frequentes repetitiones malarum cogitationum.* Inſuper alius auctor recens: *Sunt equidem, qui dubitant, an omninò detur Atheus Theoreticus? ſed experientiæ ipſi repugnare videntur. Etſi enim, inſita iſta de Deo notitia vix à quoquam mortalium ita ſupprimi poſſit, ut non ſubinde conſcientiæ morſus ſentiant, & veritatis vis vel illis invitis erumpat; fieri tamen poteſt, ut per ſummam animi malitiam quadatenus eandem reprimant, & hinc ſibi perſuadent, non eſſe Deum, idque verbis pariter ac factis teſtentur.*

teſtantur. Et tales homines, proh dolor! omni tempore fuiſſe, & hodie plures fortè eſſe quam vulgò creditur, non eſt quod dubitemus. De illis qui jam apud Ethnicos Atheiſmi nomine infames fuere, ut de Epicuro, Protagora, Diagora, Theodoro Cyrenaico, *aliiſque, nunc nihil dicam: cum non neſciam, quoſdam à quibuſdam defendi: fieri etiam potuit, ut Ethnici eos, qui ab idololatria & ſuperſtitione alieni erant, impietatis & ἀθεότητος accuſârint, eò quòd conſtat, ipſis Chriſtianis olim ab Ethnicis Atheiſmi crimen objectum fuiſſe. Quidquid hujus ſit, id tamen certum, pleraque Gentilium Philoſophorum Syſtemata, quibus rerum naturalium cauſas explicare annitebantur, ad alendum & fovendum Atheiſmum perquam fuiſſe accommodata. Fuiſſe autem deinceps inter Chriſtianos, recentiori præſertim ætate, & hodie adhuc eſſe, qui huic impietati ſe obſtrinxerunt, hiſtoriarum nos dubitare non ſinunt monumenta.* Joh. Franciſci Budæi Inſtitutiones Theol. Moral. p. 591. Inſuper Hülſemannus in Breviar. Theolog. cap. 11. hæc ſcripta reliquit noſtræ opinioni convenientia, *Poſſibile eſſe dari ad tempus quoſdam ſpeculativè Atheos, non per naturam, ſed per excæcationem.* Habemus etiam exempla quorundam, qui mortui ſunt Athei corde & conſcientiâ; ſic Vir in *Galliâ* Eminentiſſimus in lecto emortuali decumbens dixiſſe traditur, *Omnes Religiones eſſe indifferentes, quia nihil expectandum poſt hanc vitam: Vaſſor* in Hiſtoria *Ludovici* XIII. *Johannes d'Eſpagne* in Erroribus popularibus, teſtatur, cum Viro literato, & in ſuâ Profeſſione ſatis celebri, Colloquia ſeria ſe habuiſſe, cùm eſſet jam ferme moriens, qui inter alia dixiſſe, *ſe nunquam potuiſſe credere eſſe DEUM.* Cognovi & ipſe, olim aliquem Virum ſatis doctum, qui non dubitabat affirmare, ſe de *nihilo iſto inviſibili planè nihil credere:* Nomen tacebo, forſitan jam ad ſe rediit, quod faxit

Benigniſſimum etiam erga hoſtes Divinum Numen. Neque video quid obſtet בלבו *in corde ſuo*, Pſal. 14. ita explicare, ut ſignificat *inſignem ſtultorum inſcitiam*: qui eo impietatis prevenerunt, ut auſint *toto corde* credere, *nullum eſſe Deum.* Sed quid opus eſt pluribus, res ipſa, proh dolor ſe aperit, triſtiſſimis his temporibus, Cùm ſcelerata progenies non eo eſt contenta, in aulas principum, caſtra militum, & procerum ædes jamdudum irrepiſſe, niſi in domus civium, officinas artificum, & tantùm non in Colonorum Tuguria, ulteriùs ſerpat, & omnia in urbe & ruri peſtifera lue inficiat & corrumpat. Si quis iterum objecerit, nullum unquam fuiſſe qui ad ſupremum uſque diem perſtiterit Atheus, quin appropinquante morte, peſſimum quemque ad ſe redire & ſummum aliquod Numen, nolentem volentem agnoſcere: quicquid ſit hujus rei, non multùm laboro (etiamſi difficile forſan eſſet probatu, quia cor hominis fallax atque inperveſtigabile) ſufficit pro meo ſcopo dicere, Atheiſmum aliaſque Hæreſes neque diuturnitate neque brevitate temporis menſurandas. Atque uti non immerito vocamus eos Socinianos, qui per aliquot annos vel menſes pugnant contra Divinitatem noſtri Redemptoris, non ſecus ac ſi hoc feciſſent per totam vitam; ita idem dictum puta de Atheiſmo.

Caput II.

§. I. HÆC ſi tam vera ſunt quam quæ veriſſima, horreſco quidem referens, operæ pretium duxi, præcipuas hic Atheiſmi cauſas proponere.

re. Imprimis hic exiſtimo culpandum eſſe vaniſſimam quorundum de *Fato* Sententiam, quæ per aliquot mille annos mortalium animos magnopere moleſtavit, utpote ſuſtinens, ab omni æternitate omnia ita deſtinata fuiſſe, ut nullis conſiliis vel auxiliis, id quod eſt in fatis evitemus, vel mutemus; imò nec conſilio prudenti, nec remedio ſagaci, fatalem diſpoſitionem ſubverti vel reformari poſſe. Stoici fatalem cauſarum concatenationem poſuerunt, cui & ipſe Jupiter oboxius, ſecundùm dictum *Senecæ: Eadem neceſſitas & Deos ligat atque homines, irrevocabilis Divina pariter atque humana curſus rapit.* Hinc incongrui, informes & triſtes de DEO conceptus, qui hominem captioſum atque curioſum facilè in Atheiſmum detrudent, vel in Fatum phyſicum, quod omnia fieri neceſſariò ſtatuit, per concurſum atomorum, & ab *Epicuro* nominatam *τὴν τῶν ουσιῶν εἱμαρμένην*, & referente *Cicerone*, Corpora individua gravitate pulſa ad perpendiculum rectis lineis. Nos Chriſtiani, qui meliora novimus, diligenter quoad poſſumus, fugiamus hujuſmodi Philoſophorum quæſtiones, quæ rixas generant maximas, & parum vel nihil ædificant. Quod facilè eſt factu, ſi ſemper cum Scriptura loquamur, tribuendo omne bonum DEO, & omne malum noſtræ voluntati. Operationem divinam quod attinet in noſtras voluntates, ſufficit dicere, nequaquam eſſe vim, neque tantum eſſe ſuaſionem, ſed ſummam efficaciam, qua tollitur prava voluntatis diſpoſitio. Viri prudentis eſt, nihil ſupra vires ſuſcipere, & ſi quæ ſint quæſtiones, quæ captum noſtrum videntur tranſcendere, eas planè detrectare, aut modeſtè admodum de iis diſputare, quia in hiſce diſputationibus docti atque indocti ſunt pares, quia æquè infeliciter diſputant.

§. II. Adde hoc summam Parentum, atque Præoptorum incuriam, quâ negligitur præcipuus Religionis articulus coli & juventuti inculcari, ita ut passim invenias viros ætate graves, articulorum qui respiciunt mysteria fidei Christianæ, apprimè gnaros, cujuscunque officii civilis & religiosi mirè peritos, quod si eos tamen rogaveris, ut dignentur argumenta aliqua proponere, quibus probetur DEI Existentia & animæ Immortalitas, planè, obstupescunt subitò, ceu fulgure aliquo afflati & percussi, ut nihil habeant (nisi fortè maledicta) quod reponant. Unde queso tanta stupiditas & ignorantia? nisi inde quòd volumus haberi Christiani non vulgares, cùm interea officia hominis plerumque nos lateant. Faverunt quidem stupiditati Aristotelici, asserentes, cum negantibus principia non verbis sed verberibus esse disputandum. Longè melius de re Christianâ merentur Viri egregii nostri temporis, qui de industria Theologiæ Naturali excolendæ operam non inutilem locarunt, quo conatu nihil efficacius esse possit ad sistendum Atheismi cursum. Utinam omnes, qui Catecheticas institutiones in usum juventutis Christianæ scribendas suscipiunt, hoc serio secum reputarent, hoc enim si facerent, non tam levi, brachio, vel ut fieri solet, intactis fundamentis religionis naturalis, ad alias quæstiones difficiliores properarent. Conandum est potius in primo limine demonstrare differentiam inter Spiritum & Corpus, quæ captum juvenilem neutiquam superat, modo perspicuitati studeamus: & hac unâ differentiâ rite explicatâ & perceptâ, impossibile videtur, ut quis fiat Atheus.

§. III. Inter primarias Atheismi causas, ponenda est superstitio quæ à Græcis δεισιδαιμονία nominatur,

id eſt, ſervilis timor DEI, qui etiamſi de Exiſtentiâ DEI non dubitat, triſtem tamen & noxium eſſe credit, & talem DEUM truculentum, & minimè benignum, nemo equidem ſecretò dubitabit carpere, & planè negare (ſi exiſtit) illum debere ex jure diutiùs exiſtere. Quocirca quid mirum, memoriæ traditum eſſe nonnullos antiquos Philoſophos ad purum putum Atheiſmum, inter Athenienſes potiſſimum lapſos fuiſſe. Nam nulla unquam Reſpublica quicquam tetrius, aut magis ab omni ſapientia atque pietate alienum, publicis legibus ſancivit de Religione, quam populus Athenienſis. Sed probè diſtinguendum inter ſuperſtitionem inconditaſque hominum inventiones ad vulgus innocuum circumveniendum compoſitas, & verum Dei cultum; Atheiſticis etenim hominibus noſtro tempore nihil magis ſolenne eſt, quàm ingenti zelo adverſus Superſtitionem declamare quamplurimum, ut eadem opera veram religionem quoque deprimant, contra ſacerdotum Eccleſiæ Romanæ fraudes, perpetuò invehere, ut eo commodius, & majori cum applauſu, ſacerdotium ipſum & ſacerdotes omnes, cujuſcunque ſint ſectæ aut opinionis, fugillent & conculcent pedibus. Hoc ſtratagema adhibuit olim *Vanînus* in Tractat. *de Admirandis Naturæ Reginæ Deaque Mortalium*, lib. IV. *Dialog. de Religione Ethnicorum*, *de Oraculis*, *de Sybillis*, *de Dæmoniacis*, *de ſacris Ethnicorum Imaginibus*, aliiſque Dialogis ultimi hujus libri, ut facile ſit attendenti cuique percipere ſcopum *Vanini* non eſſe humanas & pravas Gentilium fraudes detegere, ſed omnem Dei cultum ex hominum animis funditus abolere. Author *Apologiæ pro Jul. Cæſare Vanino*, *Coſmopoli* nuper impreſſæ, ſi intendiſſet animum ad attendendum non temerè ſuſcepiſſet *Vanini* defenſionem.

Hic

Hic crassus cum Deo agendi modus, *Luciano in tract. de sacrificiis*, ansam præbuit jocosè & cum multo sale de Diis Gentilium multa proferendi. Et *Juvenalis Sat. 6.* Ægyptiacam superstitionem acriter perstringit.

Quænam quæso probabilior ratio Atheismi, præsertim sæculo superiori, in *Italia* exuberantis, quàm genius gentis acris, qui facilè perspicit tantas superstitiones ceremoniales, ad ostentationem, & ad lucrum faciendum compositas, nihil aliud esse, nisi Sacerdotales fraudes & technas; & cùm nullam meliorem norit religionem, facilè in eam opinionem venit, omnem scilicet Religionem nihil aliud esse quam Inventum Politicum. Eo profectò spectant peregrinationes in longinquas oras, corporis flagellationes, abstinentia ab aliquibus cibi speciebus, ejusque furfuris superstitiones aliæ, quæ planè destruunt verum, quem de DEO habere debemus conceptum, qui plane est benignus, & nihil aliud à nobis postulat, quàm solam innocentiam morum, atque Obedientiam, *quam si obtuleris, satis piè, satis religiosè litavisti.* Lactant. de vero cultu.

§. IV. Neque tacenda est detestanda illa animi superbia fastusque, quo plus nimio tribuimus nostro ingenio, Solis æterni radios divinarumque perfectionum profunditates, luscis oculis contemplari, & stolidè, lineâ heu nimis brevi, tentare volumus: ex hoc animorum fastu & elatione provenit tantus sacrarum literarum contemptus, nova mundi systemata *Mosaico* ex diametro opposita, unde si credere fas est, etiam novi orbes provenient. Et quamvis omni contentionis genere, ad debellandam istam animi curiositatem & impotentiam urgeat nos sana ratio, & purior doctrina, nihilosecius insistunt suis ceptis,

donec

donec tandem, permittente irato DEO, tantopere obdurentur corda, obducto callo, ut nihil amplius credere velint, niſi allata demonſtratione Mathematica: Hinc Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, pro farragine variorum tractatuum, à variis proprio motu conſcriptorum exiſtimantur. Hæc ſanè cauſa, inquit *Spizelius*, in Scrutinio Atheiſmi, cur *Petrus Bembus ad Sadoletum veniens, eumque in enarratione loci alicujus Biblici occupatum deprehendens, illud eructavit; Omitte has nugas, non decent gravem virum tales ineptiæ.* Et *Lazarus Bonamicus*, blaſphemo faſtu dicere non erubuit, ſe odas Pindaricas Pſalmis Davidicis præferre. His adde *Angelum Politianum*, qui roganti, *an Biblia legeret?* cum faſtidio reſpondiſſe dicitur, *ſemel perlegi librum illum, & tempus nunquam pejus locavi.* Sed antequam ad alia tranſeamus, infami ſtigmate notandi ſunt illi, qui ſub prætextu Atheiſmi expugnandi, eum interea firmant & ſtabiliunt revera, infirmando Antiquorum argumenta valida, & omnibus obvia, & loco horum ſubſtituendo rationes Metaphyſicas & ſubtiles, quæ captum vulgarem tranſcendunt, & ſuperant; hinc Antiquorum contemptus, Novorum atque difficiliorum inordinata deſideria: quæ argumenta Nova, cùm diſcutienda veniunt & æquâ lance ponderanda, evaneſcunt in auram, leviora vento; Et Veteranis argumentis antea rejectis, mens humana fluctuat & vacillat, Atheis ſeriùs citiùs in prædam ceſſura. Inſuper Viri docti & aliàs pii, qui ſcribunt contra Atheos, ſæpe ſæpius argumenta hauriunt Solumodò ex Sacra Scriptura, quâ ſane methodo nihil infelicius, aut triſtius eſſe poteſt, quia allegando Sacras Scripturas, ſupponimus Deum exiſtere, à quo illas emanaſſe credimus. Quòd ſi cum Atheo tibi fuerit confligendum, incumbit tibi hanc propoſitionem, *Deus eſt*, aliaſque

aliasque multas veritates probare, alioquin frustra plane allegaveris Scripturas; imò Atheum magis atque magis in opinione sua firmaveris; quemadmodum si cum Judæo vel Turca disputandum, necesse est habeamus principia communia, & ab utraque parte concessa, ut suo gladio jugulemus adversarium. Ex Scripturæ Sacræ indole, ex sublimitate puta rerum contentarum, ex consensu partium, aliisque ejus attributis argumentari licet; non secus ac ex mirandis naturæ, partium consensione, *&c.* Propter subtilitatem suam nimiam fuere, plures, qui improbarunt Methodum *Cartesianam*; & *Spizelius, in Scrutinio causarum Atheismi*, eam per quam acerbè tractat & minimè comiter; *Cum enim*, inquit, (*inter* Gallos *educatus*) *Mercurium Gallicum profundè biberit, & latenter sua philosophemata per* Belgium *disseminarit, hactenusque unanimos, etiam armarit in prælia fratres; subiit quorundam mentes, num ingenuè, an per insidias philosopharetur; Imò apertè quidem novam istam Methodum examinando,* Cartesium *cum* Julio Cæsare Vanino, *Atheorum aquila, comparare ausi, & potius calcem & lateres ad Atheismi muros erigendos, quàm subvertendos subministrasse opinati sunt.* Fateor, hac in parte Cartesium à multis corripi, & inter alios à *R. Cudworthio*, in suo *Systemate intellectuali*, qui eum affirmat Deum otiosum & inertem ponere; & alius Scriptor Anglus Anonymus, qui scripsit doctissimè contra præexistentiam animarum, vocat *Cartesium* crudelissimum, & truculentissimum lanionem, cùm non aliquas Hecatombas tantum, sed Brutorum species suo genio Philosophico mactaret, ut eum alacrius doceret Artem Mechanicam. Hinc multi sibi timuerunt, ne forsan, & ejus discipuli *Animas humanas* haud magis comiter, vel benignius tractarent. Sed quicquid sit de ejus Metaphysica, in Physicis eum multò præstitisse.

tiſſe, à paucis negabitur; Neque vellem temerè tantum Virum inſimulare Atheiſmi, qui tam clarè ac diſtinctè materiæ atque Spiritûs naturam atque indolem explicuit, & à ſe invicem tam accuratè diſtinxit; quantum ad multa alia ejus argumenta, valeant quantum valere poſſunt.

§. V. Huc accedunt Theologorum digladiationes & animorum acerbitas, de articulis etiam non rarò, qui neque bonos mores reſpiciunt, neque vitam æternam; attamen ſi quis à receptis ſyſtematibus diſceſſerit vel latum unguem, væ homini! De omni ſpe amicitiæ conclamatum eſt, & in Papatu, pro hæretico habendus, & vivicomburio, ni palinodiam cecinerit quantocius puniendus: qui procedendi modus, procul omni dubio, ſpectantium animos tepore aliquo, vel potius odio, adverſus omnem religionem imbuit. Neque omninò hac in parte excuſandi ſunt Proteſtantes, qui neſcio quo malo fato, etiamſi benè inter ſe conveniant de omnibus, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, nihilominus tamen de factitiis fidei articulis, primævis Chriſtianis incognitis, de rebus cultum externum ſpectantibus, de vocabulorum atque ſyllabarum apicibus, aut denique de rebus captum noſtrum longè ſuperantibus, omni laterum contentione, & animorum diſſenſione, in ſe invicem ita acerbè invehuntur, ut facilè poſſis conjicere, ex odio adverſarii, potius quàm amore veritatis, iſtas infinitas rixas deductas fuiſſe: Inde homines, de religione parùm benignè ſentientes, conſulunt principibus, ut omnem religionem negligant, affirmantes, quòd princeps pacem & concordiam perpetuam ſic demum obtinere poſſit in imperio, ſi omnes rixas & odioſas quæſtiones, quas Theologi excitare ſolvent, acriter prohibeat;

ex

ex iſtis enim diſputationibus, oriri diverſas Sectas, quibus diverſi adhæreant, atque ſic mutuis erga ſe invicem pugnis ſtimulatis, diverſa judicia, odia, convitia & calumnias naſci aiunt, quæ inteſtino bello, nonnunquam haud exiguam, præbeant occaſionem. Caveas velim exiſtimes, me omnes de rebus divinis diſputationes improbare; nequaquam, quia ſæpè ſæpiùs Eccleſiæ neceſſitas, boni viri officia hoc poſtulant, ſed eſt modus in rebus; nollem homines Chriſtianos ſe invicem proſcindere & lacerare, ne profani quique tripudient, & in contumeliam religionis conclament, *Ubi eſt veſter Deus?*

§. VI. Nec ſatis, proh dolor! lugere poſſumus vitæ morumque diſſolutionem, quæ prima & ferè unica cauſa Atheiſmi nuncupanda venit, quia turpis & impura praxis, & maleſana Theoria aliquo modo ſe invicem ponunt & tollunt. Ita ut qui ſemper ſcientes volentes malè agunt, de iis jure dubitetur, an de DEO rectè ſentiant, certè hi nihil magis cupiunt, quàm ut nullus DEUS exiſteret, ut repagulis omnibus remotis, timore ſcilicet divini vindicis, & ultimi judicii, remoto, hilariùs & liberiùs cupiditatibus ſuis indulgere poſſint. Huc ſanè tendunt innumeræ bonorum querelæ & exclamationes: *Sicut bona opera*, inquit *Cyprianus, profitentur Deum, ita mala, quodammodo loquuntur, non eſt Deus, nec eſt ſcientia in excelſo.* Hinc Apoſtolus 2. Tit. I, 16. *Profitentur ſe Deum noſſe, ſed factis eum abnegant.* Quâ inutili ac nudâ cognitione, Chriſtianorum maxima pars ita eſt capta, ut credat Religionem nihil eſſe aliud, quàm ritum civilem vel ceremonialem, inane nomen & præterea nihil: neque mirum, ſi bene attenderis, diſciplinam Eccleſiæ primitivam paſſim locorum jacere; ut homines impuriſſimi, nullâ pœnitentiâ publi-

cè

cè factâ (quemadmodum factum legimus in puriori-bus Eccleæ ſeculis) redeant in gremium Eccleſiæ, quamprimum à Paſtoribus, vel à Conſiſtoriis veniam petant. Hinc eò impietatis deventum eſt, ut vix habearis Urbanus, niſi & vitiis penè obrutus. Sunt quidem & alii viri Principes, aliique viri boni cujuſvis ordinis, qui praxin Chriſtianæ pietatis, heu! nimium inclinatam, reſtaurare ſedulò laborant, neque irrito planè ſucceſſu, quin indies aliqui vitiis antea deditiſſimi, ad bonam frugem ſe redigi patiuntur. Qui, bonorum omnium in reformandis Chriſtianorum moribus labores, proſperos ut habeant ſucceſſus, Deum Optimum Maximum vehementer veneror!

§. VII. Inter cauſas Atheiſmi multi numerant quoque perverſam Sapientiæ naturalis tractationem, dum impio auſu & temerario, intra Naturæ limites atque cancellos, omnia volunt compingere, cauſaſque duntaxat ſecundas, poſthabitâ aut neglectâ primâ, obſervantes: hi quippe rerum abſtruſarum, myſteriorumque Naturæ ſtudio mancipati, videntes rerum naturalium ſemper eodem tenore ſe habere, nonnunquam Atheiſmi in barathrum dilabuntur; Exiſtimantes nullum planè eſſe moderatorem Univerſi, ſed unamquamque rem ſuopte ingenio hos & illos curſus peragere. Ita olim impii argumentabantur, 2. Petr. iii. *Ex quo Patres dormierunt, omnia ſic perſeverant:* Cùm tamen, è contrario, ex ordine conſtantique rerum tenore, concludere debuiſſent, reverà Sapientiſſimum eſſe Moderatorem, qui modo convenientiſſimo, & ſapientiâ ineffabili, hæc omnia in debitum ordinem redegerit, atque adhuc conſervet. Huc referuntur, *Spizelio* judice, Medici nonnulli, atque Philoſophi, imprimis Italici, quorum Scripta

Scripta sapiunt passim impietatem; Hoc ipso nomine, suæ quoque Professionis Sociis, suspectus est *Hieronymus Cardanus*, adeò ut *Mersennus in Genes.* p. 602. illum Atheis maximopere faviſſe contenderit. Ad hanc classem quoque redigendi sunt ii, qui uni atque alteri experimento de virtutibus magneticis seu Idiocrasibus, de virtutibus Imaginationis atque Constellationis, perpetuò inhærentes; Legibus istis etiam supernaturalia subjicere, ex iisque omnes quosque stupendos effectus deducere non erubescunt. Sed quod Naturalis Philosophiæ studium tendat suâ indole, ad Atheismum, tantum abesse mihi videtur, ut nihil magis ad eum radicitus extirpandum conducere possit, utpote armamentarium quoddam, unde omnis ferè generis arma produci possunt ad hoc monstrum debellandum. Nec ineptè *Baconus in Lib. de augmentis scientiar.* concedit *Leviorem aliquem rerum naturalium inclinare animum ad Atheismum. Sed pleniorem haustum magnopere pro divina mente sanctissima militare.* Unde constans Philosophorum antiquorum sententia, affirmat esse Deum, ut videre est apud *Authorem libri de Mundo*, *Vetus Sermo est, à majoribus proditus, inter omnes homines, Universa tum ex Deo, tum per Deum constituta fuisse, atque coagmentata, nullamque naturam satis instructum esse posse, quæ citra Dei præsidium, suam demum tutelam diu manseram*, Et isti veteres physici, qui Atheismi postulantur, profectò sunt pauci, & ab aliis omni tempore ut monstra hominum habiti: Et si quæ sint Nationes ita rudes, quæ nullum Numen norunt, quod referunt recentiores peregrinatores, Barbari sunt, non Naturæ indagatores, quos commodius dicas Deum ignorare, quam ejus existentiam negare. *Galenus, de usu partium*, differens de humano corpore, in laudem Creatoris hymnos componere se

ſe contendit: Neque omittenda verba *Paracelſi, tract. de mineral.* *Oppido*, inquit, *admirabilis in ſuis operibus Deus, à quorum contemplatione nec interdiu, nec noctu deſiſtendum, ſed jugiter illorum indagationi vacandum, hoc enim eſt ſenſu ſatis proprio, ambulare in viis Dei.* Adde huc, quod ſolers naturæ indagator ſatis percipit, nulla phænomena clarè poſſe explicari, ſi negaveris eſſe DEUM; cauſam equidem proximam intelligimus omnium ferè operationum, motum puta, ſed unde ipſe motus cùm materiæ non ſit eſſentialis, quæ nunquam niſi ab alio movetur, debes, velis nolis, aut ignorantiam agnoſcere, aut DEUM ponere primam rerum omnium cauſam, & motorem. Videre expedit Nobiliſſimum *Boyleum, de uſu Philoſophiæ naturalis etiam in Theologia.* Conſule inſuper doctiſſimum *Johannem Raium, in libro*, cui titulus: *The Wiſdom of GOD manifeſted in the Works of Creation.* Vid. Deerhami opera de hac re Elegantiſſima.

§. VIII. Neque opinor abs re eſſe Phyſiologiam atomicam in ſpecie ab omni ad Atheiſmum propenſione vindicare, quæ apud multos non benè audit, ſed injuria, quod patebit paulo infrà, cùm ideam generalem hujus Philoſophiæ propoſuero, quam, verbis breviſſimis ſic habeto: Philoſophia atomica ſtatuit, materiam nihil aliud eſſe, niſi maſſam extenſam, ad quam pertinet magnitudo, indiviſibilitas, figura, poſitio, motus, quies, diverſi ſcilicet extenſæ ſubſtantiæ modi. Hinc omnes formæ ſubſtantiales excluduntur; quia abſque earum operâ commodiſſimè poterant explicare phænomena corporea, quæ oriebantur ex diverſis materiæ diſpoſitionibus, diverſa poſteà in nobis phantaſmata excitantibus, alioquin aut iſta antiquiſſima regula Philoſophorum, *Ex nihilo nihil fit*, penitus fuiſſet everſa, cum ingens formarum

ſubſtantialium turba perpetuò ex Nihilo fieret, quia in materiæ idea non comprehenduntur, aut, quod multò eſt abſurdius, DEUS ſine ulla cauſa in ſcenam adducendus ad creandas formas ſubſtantiales: Quia conſtans fuit opinio omnium Philoſophorum ante tempora *Leucippi* & *Democriti*, duas eſſe Subſtantias diverſas in mundo, *Materiam* ſcilicet extenſam ἀιδιον ὑφιστωτον, quam antea deſcripſimus; atque *Mentem* ſive Spiritum, qui nihil habet cum materia commune, ſed omnes ejus propietates ſunt diverſiſſimæ, putà cogitatio, dubitatio, imaginatio, memoria, atque ſui ipſius Conſcientia, quæ nullo pacto materiæ competunt; quia quantumvis materia ſit ſublimata atque rarefacta, uſque habebit omnes qualitates eſſentiales corporis cujuſvis craſſiſſimi. His ſuppoſitis non mireberis, Veteres Philoſophos tenaciſſimos fuiſſe hujus regulæ, *Ex nihilo nihil fit*: Ut firmiſſimè aſtruerent immortalitatem animæ, cùm, ut jam dictum eſt, ſit Ens ſubſtantiale à materia diſtinctum, & non ejus modificatio aliqua immutabilis, & cùm nulla ratio dictet annihilationem ullius Subſtantiæ, alioquin timendum de ſucceſſu temporis, omnes Subſtantiæ annihilarentur, imò omnis materia, quippe quæ anima longè ignobilior. Eadem hypotheſis fortaſſis eos movit ad animarum præexiſtentiam ponendam & tranſmigrationem; quia ſatis videbant à materia non poſſit derivari, cùm in materiæ conceptu neque cogitatio, neque imaginatio, neque conſcientia ſui, vel memoria includatur, alioquin actum fuiſſet de ſupra dicta regula, *Ex nihilo nihil fit*: Unde patet Materiam & Mentem, haberi Subſtantias diſtinctas, atque ex iis duabus abſolutum & perfectum fieri Philoſophiæ Syſtema, quæ ſi ſejunxeris, neceſſariò eris Hæreticus; & ſi materiam ſolam adhibueris negando nullam aliam eſſe ſubſtantiam,

ſtantiam, eris Atheus: quod *Leucippus* & *Democritus* fecerunt, ut in ſequentibus videre eſt. *Plato* autem, contra, plus nimio ideis ſuis indulgens, affectiones materiæ non ita clarè explicuit, quod ſi atomicè de materia philoſophatus fueris, & Platonicè de Mente vel Spiritu diſputaveris, meritò habeberis Philoſophus orthodoxus; quod feciſſe veteres Philoſophos, ante tempora *Leucippi* atque *Democriti*, abundè demonſtrabo: Unde liquebit iſtam Philoſophiam, nullam habere cognationem cum Atheiſmo, cùm omnes iſti antiqui Philoſophi, quorum mox meminero, eſſent atomici, ſimulque ſupremi Numinis cultores obſervantiſſimi. *Pythagoras*, exempli gratia, videtur fuiſſe Atomicus; *Guſſendus* enim obſervavit, Atomos *Epicuri* aliquando etiam vocari Monadas; atque *Ariſtoteles* diſcurrens de ſecta Pythagorica, & eorum monadibus, dicit, οὐδὲν διαφέρει μονάδας λέγειν ἢ σώματα σμικρά. (i. e.) Nihil intereſſe inter monadas Pythagoricas, & minima corpora ſive atomos; neque dubitat *Cudworthius* aſſerere hanc Philoſophiam, per Atomos, eſſe veram & genuinam *Moſaicam*; cùm *Jamblichus*, affirmet *Pythagoram* ſuam Philoſophiam hauſiſſe à *Mocho*, vel *Moſcho*, Phœnicio aliquo, ſui temporis celeberrimo, & apud *Athenæum* citato; quem *Arcerius Jamblichi* publicator, conjicit fuiſſe *Moſem Hebræorum*, cum quo *Sidone Pythagoras* Colloquia habuit. Quam conjecturam *Seldenus*, & poſt eum *Huetius*, minimè improbant, Sed multò prudentius *Stanleius*, *in vita Pythagoræ*, cum Succeſſoribus *Mochi* illum colloquia habuiſſe, cùm aliàs ratio temporis non patitur ut cum ipſo *Moſe* colloquutus fuerit. Inſuper *Empedocles*, apud *Plutarchum*, judicat, quatuor Elementa ex minimis corpuſculis conſiſtere, quæ appellat *Elementa Elementorum*; Porrò *Elephantus Phythagoriſta* Syracuſanus

apud *Stobæum*, facit Τὰ ἀδιαίρετα σώματα καὶ τὸ κενὸν, scilicet, indivisibilia corpuscula & vacuum, principia suæ Physiologiæ. Multique alii atomorum cultores qui tamen ab Atheismo maximoperè abhorruerunt, quos invenies apud *Cudworthium*, *lib.* 1. *cap.* 1. Hæc breviter proferre non piguit, ne mendace fama à studiis omnium nobilissimis absterreantur optimi Juvenes. Philosophiam quoque Aristotelicam ad impietatem propagandam multum contribuisse à nonnullis creditur, cùm mundi æternitatem doceat, de immortalitate animi nihil certi statuat, virtutesque quas explicat nullam ferè pietatem erga DEUM urgeant, sed ad tranquilitatem vel utilitatem civitatis promovendam unicè spectant. Hinc videmus *Vanimum*, Præceptoremque ejus *Pomponacium*, & *Jordanum Brunum*, in scriptis *Aristotelis* etiamsi subinde ab illo dissentiant, mirè fuisse versatos. Hic *Anton. Reisneri* verba ponam: Monuisti antea, *Aristoteli* à *Tychone Brahe* impositum fuisse *Atheismum*, teste *Claramontio*, at in plerisque Scholis & Gymnasiis, quin & ipsis Universitatibus Academicis primum ferè in Facultate Philosophica obtinet locum *Aristoteles*, quem de jure non obtineret, aut obtinere nullo deberet modo, si hujus detestandi criminis esset reus. Non hic prolixè allegabo, quæ *Gassendus* in exercitatione adversus Aristotelica paradoxa, contra eum ejusque Sectatores non ita paradoxè monuit, in specie, *quod hi ex germana Philosophia fecerint Sophisticen, & quod immeritò philosophandi libertatem sibi ipsis ademerint*; præterea, *quod nullæ sint rationes, quibus Secta* Aristotelis *videre possit præferenda, quòd maxima sit incertitudo librorum doctrinaque Aristotelica*; insuper, *quòd apud eum innumera deficiant, superfluant, fallant & contradicant*; quibus si cætera quoque accessissent, quæ in sequentibus libris, sexto in primis contra

tra Metaphyſicam *Ariſtotelis*, tractaturum ſe promiſit, non pauca ſine dubio ad probandum ejus *Atheiſmum* exhibuiſſet; cujus tamen vicem, ut ſpero, ſupplebit illud *Theologiæ Gentilis Examen*, à Philoſopho quodam Argentoratenſi ſuſceptum, quod nuper modò prodiiſſe, ex ultimo Nundinarum Francofurtenſium Indice conſtat. Neque hoc exſcribam, quæ Sorboniſta *Launojus*, *de varia Ariſtotelis fortuna*, in Univerſitate Pariſienſi uberrimè, poſt multa Patrum Eccleſiaſticorum teſtimonia, ex documentis publicis & privatis congeſſit, varia contra eum Lectori curioſo ſiſtens, ex quibus ſatis conſtare poteſt ſuperque, *Ariſtotelem* non ſemel nec unicè Eccleſiæ Doctoribus de *Atheiſmi* crimine ſuſpectum fuiſſe, viſumque ideò indignum, cujus doctrina juventuti teneræ in publicis Gymnaſiis & Univerſitatibus non ſine periculo ſeductionis proponeretur.

Denique diſſoluta vita Academicorum ad genus humanum corrumpendum multum contribuit, hi enim animos, corpora & fortunas curaturi, authoritate plurimum valent apud alios hominum ordines, quam ob rem ſi Dei immortalis ſint parum memores, totus grex facilè inficitur; Academiæ hujus temporis, qpietatis templa, modeſtiæ & humanitatis paleſtra, & virtutum omnium officinæ eſſe certe debent, in illis tamen malè feriati juvenes, nullius planè frugis nidificant, nulla delectione ingeniorum aut bonorum morum ratione habita. Huc faciunt verba *Brunnamanni*, *in Jure Eccleſiaſt. lib.* 1. *Vita Studioſorum Academica moderna, forti Reformatione indiget, ne incidant porro in Neoſophos, Chriſtianiſmi noſtri veriſſimi hoſtes & inſectatores, qui hæc quatuor ſtudia in Academiis tractanda eſſe putant, diſputare, armis dimicare, potare, boare, pauciſſimos verò ſanctam pietatem practicare.* Ejuſdem generis ſunt quæ ſequuntur: *Vita ut, proh dolor!*

dolor! plurimum à Studiosis, præsertim in Academiis imò à Theologiæ cultoribus transigitur, vita est penè Ethnica, imo diabolica, & nihil Christi regulis magis contrariatur, quàm regula inter eos consueta; ut qui studiosus vocetur optimus, Christianus existat pessimus. Non vult esse ἔννομος, disciplinæ, legi, aut ordini cuidam subjectus; sed ἄνομος, persona legibus omnibus soluta, sine fræno & habenis; non est miles, neque ambit militiam, attamen discit artem chorearum, tempusque plurimum terit otio, & concupiscentiis carnalibus; vivit contra divina, & humana, & naturalia legum statuta, nocte ambulando, potando, ludendo, aliisque peccatis & vitiis enormibus, & semet Legum studiosum vocat; sanitatis suæ curam non gerit, & semet Medicinæ studiosum vocat; considerat malè, raróque verbum Dei, & semet Theologiæ studiosum vocat; discit vocabula, terminosque, hisque Philosophiæ studiosum se putat existere. Exercet homiliam, sed non facit; artem disputandi, & non diligit; percipit Thesin sine Praxi, Antithesin absque vera armorum divinorum cura. Eph. vi. Unus verbo DEI Minister in Ecclesia cupit audire, & nil minus, quam de necessariis ad id pertinentibus cogitat. Dantur tamen, DEO sit gloria, nonnulli optimi Juvenes à corruptis sodalium moribus abhorrentissimi, & dolendum sanè communiter ferè majorem rationem haberi magnæ doctrinæ quam conspicuæ pietatis, cum omnis doctrina est, dempta pietate, venenum: & docto nebulone nihil sanè Reipubl. aut Ecclesiæ funestius aut infelicius esse potest.

CAPUT

Caput. III.

§. I. Expeditis præcipuis Atheiſmi cauſis, indoles ejus accuratius diſcutienda venit, proponendo certos characteres, atque notas, ex quibus Athei poſſint dignoſci, cujuſmodi ſequentes, minime quidem contemnendæ, I. Si omni occaſione data negaverint, aut in dubium vocaverint ſupernaturalia, miracula ſcilicet, Prophetias, apparitiones omnes, atque operationes ſpirituum in Scriptura Sacra revelatas, cunctaque ad naturales ſympathias, ad fictas craſes, & peculiaria hominum temperamenta retulerint. II. Si Sacræ Scripturæ authoritatem, tam in hiſtoricis, quam in dogmaticis, hominibus identidem ſuſpectam reddant. III. Si metum omnem & juſtam ſolicitudinem omnibus excutere laboraverint, nihil niſi ſecuritatem & hilaritatem introduxerint, quorum vulgare axioma:

Eda, bibe, dormi, poſt mortem nulla voluptas.

IV. Si à cunctis animarum paſtoribus abhorreant, eoſque tanquam aves infelices paſſim declinaverint, & de iis contemptibiles habeant ſermones, ad *Bodonis* iſtius *Prætorii* exemplum, qui (tradente *Claſſenio Rel. Polit. cap. 2.*) aſſerere non erubuit, ſe imperitiores in mundo non vidiſſe homines quam Sacerdotes, quod inepto & ſtolido inſerviant Vulgo, eique variis concionibus de regno Chriſti, DEI cultu, divina vindicta, & æterna damnatione os oblinant. V. Si Atheiſmos aliorum cupidè enarraverint, aut frigidam eorum rejectionem, aut elumbem refutationem

onem ſubjunxerint, aut tanquam inſolubilia quædam in medio relinquerint. VI. Si publicas Atheorum & Atheiſmi impugnationes ægerrime tulerint, cunctaſque contra Atheos diſſertationes, æquo animo ferre neſciant. VII. Si denique religionem ac pietatem nunquam rarò aut parcè admodum coluerint, ſed impias opiniones identidem in cœlum extollere conſueverint. Hæc & alia ejuſdem generis *Voetius, in ſuis diſputationibus contra Atheiſmum.* Et *Budæus, in ſua Exercit: Juris natural, de pietate Philoſophica.* Sed circumſpectione ſummâ hic opus eſt, ne temerè Atheiſmi notam viris bonis inuramas, ſiquidem tum hiſce probandi vis ineſt, ſi juncta ſint inter ſe, aut omnia, aut pleraque, ſicque nobis cognita accuratè ſint explorata. Utcunque ſit, cùm ſuſpiciones inde facilè deſumantur, dandaque opera, ut tantò melius nobis caveamus, alioſque incautiores cavere præmoneamus ab hujus furfuris hominibus, atque præcipuè hoc ſignum attendant qnod videtur inſtar omnium, ſi fatalem aliquam neceſſitatem obtrudere videantur, ut omnem libertatem imò mentem ipſam jugitur excludant, & ſolam materiam, unicum rerum omnium agnoſcant principium, affirmantes extenſionem eſſe materiæ Ideam inadæquatam, tum cogitationem & conſcientiam ejuſdem eſſe proprietates, atque modos, & ad adæquatum materiæ conceptum pertinere, quia nemo unquam negabit eſſe DEUM, qui mente & intelligentiam diſtinctam à materiâ poſuerit. Qui verò ſubſtantiam incorpoream negaverit, neceſſariò deveniet Atheus.

§. II. Priuſquam ad Atheorum hiſtoriam ventum fuerit, neceſſe eſt, ut vocem *Atheus* ad unam ideam reſtringamus; quippe quæ plures habet ſignificationes, valdeque æquivocè paſſim uſurpatur ab authoribus,

ribus, ita ut ſingulæ Sectæ diverſæ, ſe invicem opprobrii cauſâ Atheos vocitent. Sic Apoſtata *Julianus*, Chriſtianiſmum vocat *Atheiſmum. Sozom. lib. 5. cap. 15.* imò ante *Julianum*, Chriſtianæ fidei Profeſſores vulgò Atheos fuiſſe nuncupatos, conſtat ex *Clem. Alex. Strom. VII.* apud Judæos *Epicureus* ſcil. *Atheus*, & אפיקורוס ſcil, *Hæreticus* & *Chriſtianus* ſunt Synonyma, ut videre eſt apud *R. Moſ. Maimon. tract. Idololatr.* Sunt & Pontificii, qui Eccleſias noſtras turpiſſimo Atheiſmi ſtigmate notare non erubeſcunt. Sic *Cornel. à Lapide in 2 Tim. 3. aſſerere non dubitat Lutheraniſmum & Calviniſmum tandem abire in Atheiſmum, eorumque aſſeclas fieri Libertinos.* Qui quoſdam ex ſuis ſæpè ſæpius eodem ſtigmate deturpat, Gallos puta & Venetos, qui nutibus Curiæ Romanæ ſe non manciparunt. Vide *Spizelium:* imò neque *Eraſmus* neque *Grotius* potuerunt fædam hanc Atheiſmi notam evitare, ea eſt in Scriptoribus quibuſdam acerbitas animi & iniquitas. Sed calumnioſa hac ſignificatione nunc miſsâ, nos intelligimus, per Atheum, hominem talem, qui aut ignorat eſſe Supremum Numen (ùt fortè nonnulli inter incultas nationes atque barbaras, qui beſtiarum more nihil ferè cognoſcunt, niſi quæ ad victum & libidinem attinent, ſi qui tales ſunt eos docere oportet ratiocinari, ut ſeipſos & res creatas cognoſcant) aut qui credit & ſibi perſuadet nullum eſſe DEUM, vel ſaltem jugiter dubitat, an exiſtat, etiamſi aliquando habeat ſuos Conſcientiæ morſus atque ſcrupulos (fiducia enim nulli Sectæ eſt eſſentialis,) Chriſtiani etiam habent ſuos ſcrupulos, qui tamen neutiquam deſtruunt eorum Chriſtianiſmum: ſed de his ſupra. Vocantur & Athei paſſim, qui Providentiam, Animæ immortalitatem, Reſurrectionem atque Ultimum Judicium negant; Per conſequentiam, & indirectè, concedo,

concedo, sed si illi ipsi consequentias nostras non agnoverint, non illicò Atheismi stigmata sunt notandi, etiamsi crassissimum errent errorem, respectu Religionis Christianæ. Ideoque debemus magis propriè loqui addiscere, atque res quasque denotare suis nominibus, alioquin viri probi per calumniam probrosa atque execranda ista appellatione nominandi venient. Apud *Voetium* tot divisiones, subdivisiones, tot gradus Atheismi, atque species, ut omnes mortales in una harum classe vel altera tantum non recensendi veniant.

Prætermissis itaque omnibus divisionibus parum necessariis, dispescimus illos homines, qui dicuntur, numen supremum negasse in tres ordines; quorum primus erit illorum Antiquorum Philosophorum, de quorum *tamen Atheismo nihil certi habetur*.

Sed adhuc sub judice lis est, quia proculdubiò malè audiebant omnes, qui de simulachris & pluralitate Deorum non ita benignè sentiebant. Deinde accuratius tractabimus de istis, qui videntur ex proposito contra existentiam DEI disputasse, qui possunt nominari Athei systematici. Denique de istis, qui identidem apud historicos summo cum contemptu de DEO loquentes inveniuntur, quinimo ejus essentiam planè negare, sed suas blasphemias nullas argumentis sustinere. Hoc homines vocat *Cudworthius* Atheos Enthusiasticos. De Antiquitate Atheismi, ex sacris literis nihil constat, quum *Moses*, in Historia creationis, nullis controversiis se immiscear, sed res gestas fideliter enarret, neque verosimile est, in primordiis mundi & incunabulis, fuisse Atheos, cùm Origines rerum cum posteris à majoribus, utpote grandævis commodissime possent communicari. Antediluvianos impensè fuisse sceleſtos abunde constat, sed nullum eos agnovisse Numen nullibi liquet.

quet. Neque ſtatim poſt diluvium videntur fuiſſe Athei, cùm à filiis Nohæ ad ſeros Nepotes hiſtoriam diluvii atque cauſas traditas fuiſſe ſit veriſimile; Imò adeò primævis temporibus abhorruerunt ab Atheiſmo, ut Polytheiſmum, atque Idololatriam adſtruerent, ut ex Hiſtoria Chaldæorum, Ægyptiorum, aliarumque Nationum abundè patet; & valde eſt ſimile vero, hanc Idololatriam atque Polytheiſmum ſuperſtitioſum, quemadmodum ſuprà memorabam, primam anſam dediſſe Atheiſmo: atque, uti ſuperſtitio & Polytheiſmus videntur fuiſſe inventæ à ſimplicibus colonis, qui vitam agebant Paſtoralem, ita Atheiſmum opinor fuiſſe inventum in ſequentibus Seculis, poſtquam homines vitam civilem incepiſſent agere, & mercaturam colere, quæ plerumque acuit ingenia hominum, atque reddit eos cupidiſſimos novitatis, ut rarò acquieſcant priuſquam cognoſcant cauſas rerum. *Antonius Reiſnerus, de Origine & Intremento Atheiſmi*, Cainum primum aſſerere videtur fuiſſe Atheum: At è Paradiſo quidem eliminatus *Atheiſmus*, non item ex corde humano, ubi ſemel malum hoc ſemen radices egit, nunquam planè & omninò eradicandum, quin potius propagandum, & ab ipſis ſtatim Protoplaſtis in poſteros propagatum, generantibus filios non ad DEI imaginem & ſimilitudinem, *Evæ* quidem Mater ubi primum peperit filium, Promiſſionis divinæ de benedicto ſemine mulieris, ſerpentis paradiſiaci futuro contritore, memor, alta exclamavit voce: *Poſſedi virum Dominum*, indubia, adeſſe jam tempus, quo impletum, iri ſperavit id, quod cum viro, ſuo multis, ut probabile videtur, ſuſpiriis, à DEO precata eſt. Sed multum, plurimumque decepta dum loco ejus, quem Dei filium, Dominum eſſe exiſtimavit, ὁμόθεον videlicet;

licet; *atheum* enixa eſt, Cainum videlicet, hominem omnium vitiorum poſſeſſorem, ab omnibus vitiis obſeſſum, Antitheum, hypocritam, divini cultus contemptorem, adflictiſſimorum parentum cordolium, fratricidam nefandum, & quid non? Ne id fruſtra dixiſſe videar, ſufficere præter ea, quæ ſacer codex de nefandis criminibus & flagitiis, ejus deteſtandis cum memorabilibus circumſtantiis memorat, poteſt colloquium illud, quod inter *Cainum* & *Abelem* interceſſiſſe, in *Jonatha* Paraphraſi & Targum *Hieroſolymitano* legitur, ubivis quidem apud interpretes obvium, dignum tamen, quod & hic legatur, utpote rei præſenti valdè accommodatum, quod & verſione *D. Quiſtorpii* ita habet; *Dixit Cain ad fratrem ſuum*, Veni, exibimus foras. *Et accidit, cum exiſſent ambo foras, reſpondet Cain & dixit ad Abel, Cogito mecum, quod mundus quidem creatus ſit per miſericordiam divinam; verùm non gubernetur juxta meritum bonorum operum, ſed ibi habetur reſpectus perſonarum in judicando. Nam cur oblatio tua, non accepta eſt & oblatio tua accepta eſt?* Reſpondit Abel & dixit, *Omnino per miſericordiam divinam creatus eſt mundus, & juxta fructum bonorum operum gubernatur, neque eſt perſonarum reſpectus in judicando. Et quia fructus operum meorum erant boni præ tuis, ideò acceptata eſt oblatio mea in gratiâ.* Reſpondit Cain & dixit ad Abel, *Non eſt Judicium, & non eſt Judex, & non eſt ſeculum futurum, & non eſt juſtis redditio præmii, & non eſt ultio impiis.* Reſpondit Abel & dixit, *Eſt Judicium, & eſt Judex, & eſt expectatio præmii juſtis, & ſumtio ultionis ab impiis.* Quid in hoc deſiderari jure poſſit colloquio, jam non attendo; illud ſolum obſervans, juxtà antiquam Eccleſiæ Judaicæ ſententiam *Cainо* non injuriâ imputari poſſe *Atheiſmum*, ob id, quia delerte ſatis, etſi non ipſam

Dei

Dei exiſtentiam, Providentiam tamen ejus & Juſtitiam, quin & extremum negavit Judicium, quod ex iis etiam non obſcurè manifeſtum fieri poteſt, quæ ex ore ejus prolata in Moſaicis Annalibus narrantur. Sicut autem extremum negare aut in dubium vocare judicium, patet infrà ex inſtructione Apoſtoli *Petri*, fuiſſe hominum quos Atheorum fratres non immeritò dixeris; ita illi qui de Providentia Dei creatoris ſecurius, quàm par eſt, loqui & ſentire obſervantur, ad *Atheiſmum* proximiùs accedere, antiqui Eccleſiæ Doctores jamdudum monuere; Gentilium Scriptorum adverſus Providentiam pronunciata dicteria, copioſè ſatis collegit & diligenter digeſſit *Barthius*, in ſuis ad *Claudianum* Poetam animadverſionibus, citatis etiam pluribus ex antiquitate Scriptoribus, qui cauſam Dei ſolicitiſſimè curam mortalium habentis contra injurioſiſſimos ejuſdem obtrectatores ſingulari induſtriâ egerunt, quibus è Scholâ Græcorum omnino addi meretur *Euripides* Tragicus, cujus illuſtre pro Dei in creaturas ſolicitudine teſtimonium, ut in ſuis *Lectionibus Sacris* extaret, dignum cenſuit *Ritterſhuſius*.

Equidem Rabbini aſſerunt, *Moſem* incepiſſe Librum Geneſeos cum his בראשית ברא *in initio creavit cœlos & terram*: litera ב ibi volunt habere Senſum *Beth* inſtrumentalis; ut ſenſus ſit, *Deus creavit cœlum, &c.* Cum eorum principio, לבטל רעת המינין (i. e.) *ad deſtruendum opinionem Atheorum vel Hæreticorum*, qui affirmabant, unicum rerum omnium principium eſſe materiam, eandemque eſſe æternam. Vide *Michel Jophi* ad Geneſin. Si qua ineſt vis eorum conjecturis, patet, tempore *Moiſis* fuiſſe Atheos, niſi malles, per Prolepſin ita ſcripſiſſe *Moſem*. Sed quicquid ſit, fruſtrà fuiſſet ſi ſcriptor ſacer de Atheis ſcripſiſſet, ſed potius ex purâ ratione, quia Scriptura

ſup-

supponit esse DEUM, & ad opera Creationis contemplanda passim locorum invitat homines.

CAPUT IV.

§. 1. Missa itaque *Palestina*, in *Græciam* transfretemus, ubi, postquam Poetæ animos hominum fabulis anilibus corrupissent, ut de Diis crederent, quæ viro bono plane essent indigna, ita ut non possent non odio habere, & prorsus negare, talem DEUM, turpes amores atque vagos exercentem, ex æquo & bono debere existere; Hinc forsan ista Gigantomachia *Lucretii*:

Humana ante oculos fœde cum vita jaceret,
In terris, oppressa gravi sub religione,
Primum Graius homo mortales tollere contra
Est oculos ausus, primusque obsistere contra,
Quare religio pedibus subjecta vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria cœlo.

Quæ Carmina, etsi ad *Epicurum* referenda, tamen non est quod dubitemus, ante ejus tempora fuisse ejusdem sententiæ viros cum *Aristoteles, Metaph. lib.* 1. c. 3. affirmat, fuisse antiquissimos qui crediderint, omnia ab *Oceano* & *Thetι* fuisse derivata, vel, æquam esse rerum omnium principium. Inde est quod Poetæ per *Stygem* jurare soliti, utpote rerum omnium antiquissimam: *Plato* insuper in *Theæto* asserit, Sectam istam, quæ nullum aliud præter materiam agnosceret principium, esse antiquissimam, ὅτι πάντα ἔγονα ποίης δὲ οὐ διίσταται. (i. e.) *omnia esse à fluxu*

fluvio & motu generata. Atque *Homerus* ejuſdem Atheiſmi, *Cudworthio* judice, poſtulandus, cum ex iisdem principiis producit omnes Deos. Ὠκεανὸν θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν. Scil. *Oceanum eſſe Patrem, & Thetim matrem Deorum.* Vel, ut alii, ex *Chao* & *Nocte*, quæ poſuit ovum, & ex iſto ovo productus eſt *Amor*, qui ſe de novo, cum *Chao* immiſcens, Cœlum & Terram & Animalia generavit; ut videre eſt apud *Ariſtophanem* de *avibus*. Sunt equidem, qui exiſtimant, Philoſophos iſtos atque Poetas ad Hiſtoriam Moſaicam alludere, quia dicitur *Spiritum moviſſe ſuper aquas*; ſed *Salmaſius* exiſtimat, haſce fabulas Cabbalam Atheiſticam multum ſapere, quæ ſuppoſuit, *Chaos eſſe omnium principium*, utpotè æternum, ſed ſenſim in ordinem motu proprio redacta fuiſſe; primum, ſcilicet, res inanimatas produxit, poſthæc animalia, atque homines, denique ipſos Deos. *Heſiodus* tamen, atque *Parmenides* Atheiſmi minimè ſunt poſtulandi, cum per *Amorem* videantur principium aliquod activum intelligere, neque Amorem à *Chao* & *Nocte*, quemadmodum alii fecerunt, derivant.

§. II. Sed quandoquidem Pictoribus, atque Poetis, quidlibet fingendi ſemper fuit æqua poteſtas, eos nimium exagitare non eſt operæ pretium; ad Philoſophos antiquiores nos accingimus, qui affirmabant, quod ὕλη & πάθη τῆς ὕλης, eſſent unica rerum principia (i. e.) materiam *ejuſque qualitates, vel formas.* Inter quos, teſtante *Ariſtotele Thales* fuit, ἀρχηγὸς τῆς τοιαύτης φιλοσοφίας. (i. e.) princeps iſtius Philoſophiæ, cùm omnia ab Aquâ deduceret, nullo admiſſo principio activo; ſed injuriâ *Thaleti* tribuitur hæc impietas, cùm apud *Diogenem Laertium* affirmet, mundum eſſe à DEO factum, & DEUM om-

omnium rerum antiquissimum, quippe ingenitum, cui ne quidem cogitationes mortalium latere possunt. Huc accedit testimonium, *Valer. Max. lib. 7. cap. 2.* mirificè *Thalis*, nam interrogatus, *an facta hominum Deos fallerent? nec cogitata, inquit.* Sed *D. Balius* asserit, hæc dicta ab aliquibus authoribus *Pittaco* tribui, ita ut, non adeò certum sit, *Thaletem* de DEO tam religiosè loquutum fuisse, sed quid quæso obstat, quò minus ambo in eadem cogitata atque verba inciderent, ut passim fit, cum de rebus valdè obviis instituendus est sermo. Quod attinet rerum omnium productionem ex Aqua, haud ita incommodè argumentari videtur, cum forsitan sensu Chymico loqui voluerit. Multis experimentis *Boyleus* in libro, cui titulus, *The Usefulness of Natural Philosophy*, demonstrat multa alia corpora derivari posse ex Aqua. Dicitur etiam apud *Diogenem Laertium*, quòd *Thales* primùm omnium docuit *Animæ Immortalitatem*; & rogatus *quid esset velocissimum*, respondit, *Mens*, nam per Universum discurrit: Iterum interrogatus, *quid est Deus?* respondisse dicitur, *quod initio & fine caret*; quæ omnia abundè probant, *Thaletem* principium aliquod activum, vel Mentem, à Materia distinctam agnovisse.

§. III. Sed etiamsi *Thales* piè philosophetur, non omni planè crimine vacuus videtur fuisse ejus discipulus, nomine *Anaximander*, qui meliore jure ἀρχηγὸς τῆς τοιαύτης φιλοσοφίας nominandus, (i. e.) nullum Principium activum agnoscens, sed Materiæ omnia tribuens, imò Materiam aliquam primam, eamque infinitam supponens. Οὗτος ἔφασκεν ἀρχὴν καὶ στοιχεῖον, τὸ ἄπειρον ἐ διαρίζων ἀέρα, ἢ ὕδωρ ἢ ἄλλο δὲ, καὶ τὰ μὲν μέρη μεταβάλλειν, τὸ δ' πᾶν ἀμετάβλητον εἶναι. (i. e.) Principium & rerum omnium Elementum esse

eſſe infinitum, cujus partes mutabiles. Vide *Diogen. Laertium.* Neque eſt quod mireris *Anaximandrum* alioſque *Materialiſtas*, Materiam omni intellectu vacuum, aliquando Divinam, aliquando Numen appellare, quum illi nihil antiquius, aut divinius agnoſcerent, quam Materiam ſtupidam, neque dubitarent alia Dei attributa illi tribuere. Sed ut eò magis pateat ejus Philoſophiam fuiſſe impiam, lubet deſcribere verba *Plutarchi*, lib. de placit. *Anaximander Mileſius affirmat, infinitum, eſſe primum principium & ex eo omnia generari, & in idem corrumpi, ideoque mundos infinitos, alternatim generari & corrumpi; Sed in hoc errat, cum poſuerit tantùm cauſam materialem, principium activum prorſus tollendo; quia infinitum Anaximandri nihil aliud eſt quam materia, quæ, ſine cauſa activa & efficiente, nihil poteſt producere.* Unde patet ejus *infinitum* non fuiſſe Mentem, prout voluit *Clemens Alexandr. in Protrept.* Corripitur & à *Cicerone* ejus opinio, *lib. de natura Deorum. Anaximandri ſententia eſt, nativos eſſe Deos, longis intervallis orientes occidenteſque, ſed nos Deum niſi Sempiternum intelligere quî poſſumus?* Plura de ejus opinione apud *Euſebium, lib. de Præparat. Evangel.* quorum ſumma huc redit, homines ex ventre aliorum animalium fuiſſe natos. Eandem de eo ridiculam hiſtoriam refert *Plutarchus.* Hic videtur primus fuiſſe, qui philoſophatus eſt per formas atque qualitates, nullam ſubſtantiam incorpoream admittens.

IV. Hujus Sectæ erat *Anaximenes Euryſtrati* Filius, *Mileſius*, qui nullum aliud agnovit principium præter aërem, atque infinitum. Hujus diſcipulus fuit *Diogenes Apolloniates*, qui hoc modo philoſophatus eſt, Elementum eſſe aërem, mundos eſſe infinitos, & inane infinitum, denſumque aërem, & rareſcentem

tem mundos gignere: Nihil ex eo, quod non ſit, fieri; neque id quod non ſit, corrumpi. *Cicero de Nat. Deorum*, hæc habet: *Quid? aër, quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem ſenſum habere poteſt, aut quam formam Dei?* Hinc *Auguſtinus*, de Civit. Dei, lib. 8. cap. 2. *Diogenes* quoque Anaximenis *alter auditor, aërem quidem dixit rerum eſſe materiam, ex qua omnia fierent, ſed eum non eſſe compotem divinæ rationis, ſine qua nihil ex eo fieri poſſit.* Sed judicio D. *Bæylii*, aër habuit rationem materiæ tantùm, à divina mente agitatus, ideóque eum non eſſe purum putum Atheum, cùm cognoſceret aliquid diſtinctum à Materia, animam mundi putâ; ut multi Theiſtæ, qui Deum aliquem corporalem agnoverunt; niſi potius eos Atheiſtas nominaveris, qui cogitationem & perceptionem, materiæ eſſe modos atque proprietates affirmavere. Utcunque ſit, *Cudworthius* omnes ferè Philoſophos Ionicæ Sectæ, *Thalete* excepto, ejuſmodi Atheiſmi poſtulat, ut nullum præter Materiam principium agnoſcerent, inſuper probat, *Anaxagoram Clazomenium*, *Anaximenis* diſcipulum, primum eſſe poſt *Thaletem*, qui philoſophando materiæ mentem adjecit, inde *Timonis* carmen de eo apud *Laertium*:

Nunc ibi Anaxagoras mens eſt, fortiſſimus heros,
Qui mentem ſubito, (nam mens non defuit illis)
Compoſuiſſe putat, fuerunt quæ incondita quondam.

Erat proculdubio Vir egregius, quod abundè patet ex vitæ inſtituto atque ex ſermonibus: patrimonium non modicum cognatis, ſponte ſuâ conceſſit; atque cuidam illum ita compellanti, *nullane tibi patriæ cura eſt?* retulit, *mihi verò patriæ cura, & quidem ſumma eſt*, digitum in cœlum extendens. Reſponſio

ſponſio profectò viro Chriſtiano etiam digniſſima: ſed cùm affirmaret, Solem candens ferrum, & Peloponneſo majorem eſſe, Lunam habitacula in ſe habere, & colles & valles, ſtigma Atheiſmi ab Athenienſibus evitare non potuit; etiamſi magnopere à *Pericle* ſuo diſcipulo, Athenienſium principe, defenſus diu fuiſſet; tandem à civibus in exilium pulſus, & *Lampſaceni* diem obiit extremum, & ibidem hoc Epitaphium eſt meritus,

Candentem ferri maſſam Phaëtonta putavit
Quondam, & ob id morti addictus Anaxagoras;
Hunc tamen incolumen Pericles ſervavit; & ille
Rurſus ob inviſam perdidit inſcitiam.

Ex *Anaxagoræ* infelici fato, ſatis patet, iniquiſſimum eſſe vulgus Atheiſmi judicem; quamplures enim puros putos Atheos intactos dimiſerunt; alioſque Numen ſupremum agnoſcentes, pro Atheis morte vel exilio multarunt, nullam aliam ob cauſam, quam quod auſi fuerint affirmare, ſimulachra & imagines non eſſe Deos; ut teſtatur *Plato*, in apologia pro *Socrate*: & eadem de cauſa Chriſtiani à Gentilibus nominabantur Athei, ut videre eſt apud *Juſtin. Martyrem.*

§. V. *Empedoclem* Agrigentinum, *Pythagoræ* diſcipulum, *Ariſtoteles* Atheiſmi poſtulare videtur, cum affirmat, *Empedoclem* Animam aſſerere ex quatuor elementis eſſe compoſitam, & partes animalium fortuitò ita eſſe diſpoſitas, non verò ex conſilio alicujus cauſæ efficientis; porrò intellectionem nihil aliud eſſe quam ſenſus; ſed poſtrema accuſatio parvi eſt momenti, quum Senſus & Intellectus ſæpenumerò pro ſynonymis haberi ſoleant; & quod attinet ad primam, ab

omni impietatis criminatione verba ejus apud *Clement. Alexandr.* allegata eum liberant, quorum ſumma latinè huc redit: *Si ſanctè & juſtè vivamus, in hac vita erimus felices, & poſt mortem feliciores, cùm circumſtantia temporis non affixa ſit noſtra felicitas, ſed in perpetuum cum ſpiritibus immortalibus convivia celebrabimus.* Multa etiam carmina, *Empedoclis*, quæ adhuc ſuperſunt, ſatis probant, illum fuiſſe divinum Philoſophum, & *Pythagoræ* Præceptoris aſſeclam ſtrenuum.

CAPUT V.

§. I. DE his hactenus, jam ad Philoſophos *atomicos* tranſeat Oratio; inter quos *Leucippus* atque *Democritus* ſunt facilè principes, quia illi fuerunt primi, qui ab Atomis amoverunt ſubſtantiam incorpoream, quæ iis præſideret, & hoc modo mancum aliquod Philoſophiæ Syſtema condiderunt. *Laertius* ita de *Leucippo* ſcribit, placebat illi infinita eſſe omnia, & in ſeipſa commutari, atque univerſum illud inane, eſſe plenum corporibus: Mundoſque fieri corporibus in hoc *inane* incidentibus, & in ſe invicem implicatis; atque ex motu, ſecundum illorum incrementa ſidera fieri, porrò, ut generationem, ita & incrementa mundi, & diminutiones, & corruptiones, ex quadam neceſſitate eſſe: porrò πρῶτος τὰ ἀτόμοις ἀρχὴν ὑπεθήσατο, (i. e.) primus hic atomos principia ſubjecit. Inſuper *Illuſtrius lib. de Vita quorundam Philoſophorum*, ſcribit, *Leucippum primum inſectibilia corpuſcula rerum initia ſtatuiſſe, & univerſum*

cum

cum multis antiquioribus, ſine carere ſtatuit: Aſſeruit & Elementa, & Mundos ex his infinitos eſſe, & in elementa abire diſſolvique: Mundos autem hac ratione fieri, ex infinito multa & figuris omnibus prædita corpuſcula diſſilire in magnum inane; quæ coacta rapiantur una vertigine, & circumacta, cujus impetu impacta, & modis variis in orbem rotata, ſimilia ſeorſim ſeparari ſecernique contingat; quibus æquo momento libratis, & ob multitudinem circumagi nequientibus, exilia diſcedere ad exterius inane, veluti cribro increta, reliqua conſidere ſimul, & complexu quodam in unum concurrere; primumque efficere coagulum quoddam ſphæriforme, atque id, ſeu fœtus involucrum edi ac produci, in ſe omnigena corpuſcula quæ ambit, continens, quibus circa centri medii umbilicum circumrotatis, ambientem membranam extenuari dum ſemper continua corpuſcula attactu vertiginis rapta in unum confluunt. Eaque ratione tellurem eſſe factum, ſidera, omnia igneſcere, ob concitatiſſimi motus celeritatem, à ſideribus ſolem quoque flammam concipere, lunam verò paululum ignis participare credidit,

§. II. Fuiſſe antiquiores *Leucippo*, qui philoſophabantur per *Atomos*, quod ſuprà innuimus, clarum eſt; ſed iſti adhibuerunt divinam atque incorpoream Subſtantiam, ad completum Philoſophiæ ſyſtema adornandum, cujus pars una eaque minus nobilis, *atomi:* hæc ſunt verba *Strabonis*, latinè reddita, *Imo ſi Poſidonio credimus, antiquum de atomis dogma Moſchi eſt, hominis Sidonii, qui ante Trojani belli tempora vixit. Strab. lib. 6.* Idem affirmat *Sextus Empiricus*; ſed *Leucippum* atque *Democritum* Authores eſſe hujus Philoſophiæ, quatenus Atheiſticæ, nemo, ni fallor, ibit inficias, (i. e.) *Leucippus, Democritus, Epicurus* diſtinctis, atque ſuccedentibus temporibus, coluerunt, imò invenerunt hanc hypotheſin, quæ

omnia phænomena opera atomorum explicare conatur; atque ita impio auſu omnem ſubſtantiam incorpoream, & intelligentem prorſus proſcribit. Ideoque diligenter diſtinguendum inter doctrinam *atomorum* abſolutè ſumptam, & fortuitum concurſum, ſine ullo ſapiente moderatore omnia producente, quæ non immeritò tribuitur *Leucippo* atque *Democrito*. Doctrina verò Atomorum uti formis ſubſtantialibus oppoſita, multo eſt antiquior, neque temerè rejicienda; Ideoque illi concurſui atomorum, utpote rerum omnium formatori; (animis humanis non exceptis) *Cicero* videtur opponere. Iſta enim flagitia *Democriti*, ſive etiam ante, *Leucippi*, eſſe corpuſcula quædam lævia, alia aſpera, alia rotunda, partim angulata, curvata quædam, & quaſi adunca; ex his effectum eſſe cœlum atque terram, nullâ cogente naturâ, ſed concurſu quodam fortuitò: *lib. de natura Deor.* *Lactantius* eleganter refutavit hanc Atheiſticam hypotheſin, ſed quando conatur probare, non dari corpora minima inviſibilia, ſatis infeliciter rem geſſit, monſtrans; ſe Theologiæ, quàm phyſicæ, multò magis gnarum, neque abs re ejus verba hic nos deſcribere, ut videamus, quam horridè Philoſophati ſint patres: *Non eſt, inquit, Providentiâ opus, ſunt enim ſemina per inane volitantia, quibus inter ſe temerè conglobatis Univerſa gignuntur, atque concreſcant: Cur igitur illa non ſentimus, aut cernimus? Quia nec colorem habent, inquit, nec odorem: Saporis quoque & humoris expertia ſunt, & tam minuta, ut ſecari aut dividi nequeant; ſic eum, quia in principio falſum ſuſceperat, conſequentiam rerum neceſſitas ad deliramenta perduxit. Ubi enim ſunt, aut unde iſta corpuſcula? Cur illa nemo præter* Leucippum *ſomniavit? A quo* Democritus *hæreditatem ſtultitiæ reliquit* Epicuro. *Quæ ſi ſint corpuſcula & quidem ſolida, ut dicunt ſub oculos certè venire poſſunt.*

Inſtitut.

Inſtitut. lib. 3. cap. 17. Denuò, *Ubi aut unde ſunt quæro, quis illa minuta ſemina vidit unquam? Quis ſenſit, quis audivit? An ſolus* Leucippus *oculos habuit, ſolus mentem? Qui profectò ſolus omnium cæcus & excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quiſpiam delirare poſſit, nec dormiens ſomniare, &c.* Et multæ ejus generis invenies, *lib. de ira Dei*; quæ profectò à Phyſicis hodiernis exploderentûr planè, utpote commiſeratione aut cachinnatione digna; Nemo etenim eſt hominum experimentis inſtructus, qui meliora non noverit, patet enim dare corpuſcula ita minuta, ut omnem oculorum aciem longſſimè fugiant, & quoad nos indiviſibilia, etiamſi in ſe & mathematicè diviſibilia maneant. *Leucippus*, ſi ſubſtantiam incorpoream retinuiſſet, Vir omni laude fuiſſet digniſſimus, teſtante *Thoma Burnetto.* Archælog. Philoſoph. lib. 1. cap. 12. *Ad hanc Sectam Eclecticam aggregari ſolent* Leucippus *&* Democritus, *viri celebres & eximii, qui hypotheſin atomorum invexerunt, quæ licèt mea ſententia falſa ſit, & malè fundata, dedit tamen occaſionem philoſophandi ſtrictius & accuratius. Hi enim non quærunt corporum principia, aut agendi vires, inter numeros, harmonias, proportiones, ideas, qualitates aut formas elementares, ut ab aliis factum eſt: Sed ipſa adeunt corpora, eorumque conditiones, phyſicas & mechanicas, examinant, motum, figuram, partium ſitum, tenuitatem, & magnitudinem, & ſimilia; & ex his cujuſque virtutes æſtimant, actiones definiunt, effecta explicant, idque rectè ſolidéque. Quod verò has minutas indiviſibiles eſſe vellent, aut innatum impetum habere, aut inclinationes ad certa loca, aut denique inanibus ſpatiis disjungi, hæc & alia hujuſmodi non tantùm gratis dicta ſunt, ſed etiam claræ rationi refragantur. Utcunque, cùm viam aperuerint ad ſaniorem diſſerendi modum circa res phyſicas, & in hac parte de Republica literaria non*

malè meruerint, illos laude ſua ne fraudemus. Hanc præter cæteras coluerunt hypotheſin, utpote magis ingenioſam, quam *Heracliticam*, aut *Anaximandriacam*, quæ formas & qualitates ſuppoſuerunt, & univerſam mundi formam eſſe Deum: Ita ut hæ hypotheſes ſupponerent, mundum eſſe animal ſapientiſſimum, partes ſuas prudenter dirigens; ſed *Leucippus* cum aſſeclis, ne quando volentes nolentes, per hanc hypotheſin cogerentur agnoſcere, non tantum Deum corporeum, ſed etiam incorporeum, ab omni materia ſejunctum, & ab ea minimè dependentem; formis ſubſtantialibus & qualitatibus quibuſcunque nuncium remiſerunt, ut liberiùs, & ſine metu alicujus ſummi Numinis ſummo otio philoſopharentur. Nihil præter motum, ſitum, magnitudinem, figuram, atque quietem Materiæ tribuendo; ſed hic turpiter eos fefellit opinio, quum nulla phænomena per concurſum atomorum fortuitum, quin mille appareant abſurditates, explicare poſſint, cum ipſe motus (præcipuum inter Materiæ attributa) illi non ſit eſſentialis:

§. III. De *Leucippo* plus ſatis, de *Epicuro* multa reſtant dicenda, natione *Mileſius* fuit, *Damaſippi* filius, Magos atque Chaldæos habuit præceptores, à quibus & Theologiam, & Aſtrologiam didicit; quum adhuc puer eſſet, poſtea verò *Leucippum* convenit, & ſecundum quoſdam *Anaxagoram*, quum annis quadraginta minor ætate quàm ille eſſet. Inſuper memoriæ traditum eſt, illum in Ægyptum contendiſſe ad ſacerdotes, Geometriam percepturum. Non defuere, qui dicerent, eum cum Gymnoſophiſtis in India congreſſum eſſe: denique in Æthiopiam veniſſe, atque rem familiarem in itineribus dimetiendis, etiamſi lautam, prorſus conſumpſiſſe; ita ut propter rerum omnium indigentiam à *Damaſo* fratre

aliquando

aliquando nutriretur. De cujus ſagacitate in rebus phyſicis multa proferuntur, quæ non ſimilia verò videntur, exempli gratia, præſente *Hippocrate* lac efferri cum juſſiſſet, inſpecto lacte, dixiſſe, & Capellæ primum partum & nigræ eſſe. Sed & puellam, *Hippocratis* primò ita ſalutaſſe dicitur, *ſalve virgo*, poſtridie verò, *ſalve mulier*, puella enim vitiata fuit ea nocte. Quod attinet ejus opiniones, eas ſic habeto ex *Laertio* & *Heſychio Illuſtrio*. *Principia* omnium eſſe *atomos* & *inane*; cætera omnia fas eſſe opinari, infinitos eſſe mundos, generationi & corruptioni obnoxios, *atomos* præterea, numero eſſe infinitos. Aquam, ignem, aërem, terram, ſolem item & lunam ex vertiginibus, tumorumque circumferentiis componi; animamque humanam itidem; cunctaque ſecundum neceſſitatem fieri, quum ſit vertigo cauſa generationis omnium, quam neceſſitatem eſſe dicit. Finem verò rectum quietumque animæ ſtatum aſſerit, ut nullo metu, nulla ſuperſtitione agitetur. Porrò teſtatur *Lucianus*, *in Philopſeud. Democritum* firmiter credidiſſe mortalitatem atque diſſolutionem animarum cum corpore, ideoque nihil ſibi timuiſſe, dum petulantes aliqui juvenes tentaſſent illum noctu territare; adeò firmiter credidit, animas nihil eſſe, poſtquam è corporibus exierint. Ex his conjicere licet, illum nullum alium cognoviſſe Numen, quam ſtupidam Materiam, perpetuis circumgyrationibus velociſſimè rotatam; cùm animam in corpore exiſtentem, nihil aliud eſſe ſtatuit. Hoc poſito, Ideam nullam ſubſtantiæ incorporeæ concipere poſſum; quam ex idea, quam habeo de mea mente, utpote ab omni materia diſtincta, & minimè dependente, rectè concludo, Deum ſimilem eſſe ſubſtantiam maximè incorpoream, & à materia independentem.

§. IV.

§. IV. Non ita ſe res habet in illis, qui negant reſurrectionem, & animarum immortalitatem, ſive durationem perpetuam; quia fatendum eſt, eam dependere à Dei beneplacito, quia ſi ita viſum fuerit illi, etiam omnes Angeli in nihilum redigerentur. Eapropter ille planè Atheiſmi poſtulatur à *Cicerone*, de *Nat. Deor. lib.* 1. *Democritus*, inquit, *dum imagines earumque circuitus in Deorum numerum refert, quæ imagines peſſundant, adimant tum ſcientiam & intelligentiam noſtram; nonne in maximo errore verſatur? cumque idem omninò, quia nihil ſemper ſuo in ſtatu maneat, negat eſſe quicquam ſempiternum; nonne Deum ita tollit omninò, ut nullam opinionem ejus reliquam faciat?* Huc accedit teſtimonium *Plutarchi* luculentiſſimum, *de placit. Philoſoph.* Δημόκριτος τὸν Θεὸν ἐμπυρισμὸν τῆς τοῦ κόσμου ψυχῆς, (i. e.) Illum nullum alium Deum agnoſcere, niſi animam mundi. (Inde videre eſt, quomodi *Athei* ſolent, retento tantum Dei nomine, quod impudenter cum ſtupida materia communicare non dubitant, ablata verò larva, rem ipſam jugiter negare, ſatis perciperis.). Ita ut loci nonnulli in ejus operibus, ubi commemorat aliquem δημιουργὸν (i.e.) Creatorem; non poſſint eum excuſare, cùm δημιουργὸς & φύσις videntur apud eum eſſe ſynonyma. Idem dictum puta de loco in Epiſtola *Hippocratis* ad *Damogetem*, de Sapientia *Democriti*, ubi refertur, illum non diſſecaſſe partes animalium, ac ſi vilipendiſſet opera Dei, ſed ut ſedem bilis inveniret. Porrò *Epicurus* (qui certè ſi quis alius, maximè fuit Atheus) dicitur omnia ſua philoſophemata à *Democrito* ſumpſiſſe mutua, quod teſtatur *Cicero*, *de Natura Deor.* lib. 1. *Quid eſt in Phyſicis* Epicuri *non à* Democrito? *Nam etſi quædam commutavit; ut quod paulò ante de inclinatione atomorum dixi: tamen pleraque dicit eadem, atomos,*

atomos, inane, imagines, infinitatem locorum, innumerabilitatemque mundorum, eorum ortus & interitus, omnia ferè quibus naturæ ratio continetur. Et alibi. Democritus, *vir magnus imprimis, à cujus fontibus* Epicurus *hortulos ſuos irrigavit.* Fertur *Platonem* ita *Democrito* fuiſſe infeſtum, ut omnia ejus ſcripta *Vulcano* tradidiſſet, niſi ei à multis fuiſſet reclamatum, affirmantibus hoc fore laborem planè irritum, cùm multa jam exemplaria eſſent diſperſa. Veroſimile eſt hoc odium concepiſſe *Platonem* contra *Democritum*, magis propter opinionum oppoſitionem mutuam, quàm ex mera invidia, propter ejus celebritatem, quum notum ſit, *Platonem* agnoviſſe ſapientiſſimum mundi Creatorem; contrà *Democritum* omnia tribuiſſe atomorum circumgyrationibus. Accedit huc *Auguſtini* ſententia de *Democrito: Quantò melius, ne audiſſem quidem nomen* Democriti, *quàm cum dolore cogitarem, neſcio quam ſuis temporibus magnum putatum, qui Deos eſſe arbitraretur imagines, quæ de ſolidis corporibus fuerunt, ſolidæque ipſæ non eſſent; eaſque hac atque hac, proprio motu circumeundo; illabendo in animas hominum facere, ut vis divina cogitetur; cùm profectò illud corpus unde imago flueret, quantò ſolidius eſt, tantò præſtantius quoque eſſe judicatur; ideoque fluctuavit, ſicut iſti dicunt, mutavitque ſententia, ut aliquanda naturam quandam, de qua fluerent imagines, DEUM eſſe diceret.* Ex quibus verbis *Auguſtini*, licet concludere *Democritum* neque cogitationem à materia diſtinxiſſe. Opinio ejus de ortu hominum eſt abſurdiſſima, quum ex vermibus ſatos crediderit, ſed ſucceſſivis mutationibus hanc formam, quam habent, induiſſe, ita ut non immeritò eum mentis impotem haberent Abderitæ, compellantes cum ſumma feſtinatione *Hippocratem*, ut hujus maniæ porrigeret remedia, vide *Stillingfleetium Orig. Sacr. part.* 2. *pag.* 26. Qui ibidem

ibidem dolet, opera hujus Philoſophi omnia eſſe perdita, cum ea quæ remaneant ſubleſtæ ſint fidei & parum genuina habeantur.

Caput VI.

§. I. *Democritum* excepit *Diagoras, Teleclidis* filius, natura ſervus, & propter indolem & acumen ingenii, decem drachmatum millibus à *Democrito* emptus, & poſteà ab eodem Philoſophiâ imbutus, atque ut fas eſt credere, minus rectè de DEO ſentire edoctus, adeò ut *Impius* vel *Atheus* cognomento dictus fuerit. Alii cauſam ejus Atheiſmi ſic referunt, quod eidem arti (i. e.) Poeticæ operam dederit quiſpiam, à *Diagora* accuſatus de ſubrepto poemate, nominato Pæane; & cum ejuraſſet ſe furti non teneri, coram Jovis imagine; atque poemate non ita multò poſt lucem prolato, mæſtus valdè & contriſtatus *Diagoras*, λόγους θεῶν ſcripſit ἀποπυργίζαντας: (quaſi dicas Orationes è turribus ſuis Deos præcipitantes) quæ defectionis ſuæ cauſas à communi de Diis ſententiâ continebant; ita imprudenter concludit, *DEUM nihil aliud eſſe quam ſtatuam*; cum concludere debuiſſet, *ſtatuam non poſſe eſſe DEUM*. Proſperitas impiorum magnum profectò omni tempore attulit mortalibus præjudicium, ut parum benignè de DEO, atque de ejus providentia ſentirent; Quod abundè patet ex verbis *Divini Pſaltis, tantum non pedem ſuum fuiſſe lapſum* teſtantis, cum videret impios in omnibus ſuis conatibus proſperrimos habere ſucceſſus, dum boni viri duriſſima uterentur ſorte; ſed cùm ingrederetur Templum vel Tabernaculum

naculum Jehovæ, facili labore omnes iſtas diluit triſtes cogitationes. *Clemens Alexandrinus*, *Diagoræ* Philoſophiam damnari à multis exiſtimabat, fictitios atque falſos Gentilium Deos, quia acriter corriperet; quod fatemur verum fuiſſe de aliquibus qui à Gentilibus exiſtimabantur Athei. Quod ſi diligentiùs conſideraverimus ejus ſcommata contra providentiam, non abs re erit credere, illum nullum DEUM agnoviſſe, præter concurſum atomorum fortuitum, vel materiam, ut antea ejus Præceptor *Democritus*. *Diagoras*, cùm in Samothraciam veniſſet, & quidam amicus ei dixiſſet, *Tu qui putas Deos humana negligere, nonne animadvertis, ex his tabellis pictis, quam multi votis vim tempeſtatis effugerint, & in portum ſalvi pervenerint? Ita ſit*, inquit, *illi verò nuſquam picti ſunt qui naufragium fecerint, in marique perierunt*, l. 3. de Natur. Deor. *Idemque cum ei naviganti, vectores adverſa tempeſtate timidi & perterriti dicerent, non injuria ſibi illud accedere, qui illum in navem eandem recipiſſent; oſtendit eis in eodem curſu multas alias laborantes, quæſivitque, num etiam in iis navibus* Diagoram *vehi crediderent?* Acutiſſimè dictum, quod nos monere debet, ne nimia feſtinatione impiorum miſeriam illicò eorum impietati tribuamus; quia & hæc accidit viris quibuſque optimis. Propter impietatem ejus decreverunt Athenienſes magnam argenti vim, cuicunque qui illum trucidaret, atque largiorem tali mercedem, qui vivum adduceret. Sed fuga ſe ſalvavit, & poſtea naufragio periit. Multa alia de eo referunt authores, ſed non ſunt hujus commatis, neque ad noſtrum faciunt inſtitutum.

§. II. Fuit & *Protagoras Democriti* auditor, teſtante *Laertio*, atque is Atheiſmi accuſatus, dicebat nihil eſſe animam præter ſenſus; *de Diis quidem ſtatuere*

tuere nequeo, inquit, *an sint necne*; *sunt enim plurima, quæ id scire prohibeant, quippe & summa rei incertitudo, & brevis hominis vita.* Nihil videtur conceptis verbis contra existentiam summi numinis statuisse, sed cautius, forsan, propter magistratûs metum loquutus; sed cùm *Diagoræ* condiscipulus esset, par est credere, illum coluisse eandem Philosophiam: pulsus tamen tandem ab Athenienſibus, librique illius in foro cremati, sub præconis voce. Lubet huic subjicere historiam *Theodori*, cognomento dicti *Athei*; Vixit Athenis tempore *Demetrii Phalerei*; omnes opiniones de Diis antiquavit penitùs & sustulit, & aut amplius dicam, sustulit & amicitiam, quod ea neque penes stolidos, neque penes Sapientes sit; nam sublato usu, amicitiam confestim aboleri atque interire; Sapientes rursus, quum sua sint sorte contenti, amicorum opem non requirere: *furto, adulterio, sacrilegioque se dediturum ex usu temporis*; horum enim natura nihil esse turpe, si tollas popularem de hisce opinionem, quæ ad continendum in officio vulgus hominum recepta est. Hinc addiscere licet, nihil Atheo Patriæ vel Reipublicæ pestilentius, nihil eo timidius in periculis, in convictu fraudulentius, aut injustius esse posse; qui, neque æqualem tolleret, neque agnoscat superiorem, nisi quando coactus est commoditati suæ inservire atque temporibus; alioquin,

Vivetur ex rapto, nec hospes ab hospite tutus:

Neque salus populi respicienda, neque majestas principum. Atheus nullum agnoscit Numen, nisi seipsum; neque aliud cœlum, præter hujus vitæ commoditates; neque allum infernum, præterquam rerum omnium inopiam; hic timiditas & ignavia,

ut

ut ſtrictum enſem vix audeat adſpicere, quia ſi fortè hoſtili ferro caderet, conclamatum eſſet de omni illius ſpe & expectatione. At forſan objicies, in bello nihil Atheo fortius, cùm poſt mortem neque pœna eos maneat, neque infernus, neque ulla rerum anteactarum recapitulatio, neque profectò moleſtè ferenda ſit, brevis hujus vitæ jactura. Ita eſt, fateor, ſi meliorem ſpectaveris, jactura eſt nulla, attamen Atheo graviſſima eſt & irreparabilis, quia nihil habet aliud quod expectet. Inſuper quod Atheus *pacis* ſit *amantiſſimus*, utpote omnia ſummum numen quæ reſpiciunt, ſuſquedeque habens, atque æquiſſimo ferens animo, ut quiſque abundet ſuo ſenſu; quum *non quid ſentiant homines, ſed quid agant attendit*, ſed hoc, nullo pacto verùm eſſe arbitror; contra, eſt animal maximè diſputax, atque ardentiſſimo zelo percitum ad conquirendos ſibi aſſeclas, neque fortè hoc nomine Phariſæo multum inferius. Praxis, & hominum Atheiſticorum mores, extra omnis aleæ controverſiam hoc ponunt, quippe qui nuſpiam deſinunt, ſi non palàm, ſaltem clanculùm corrumpere aliorum animos. Obiter monendum eſt, execrandam eſſe opinionem Atheorum, ſecundùm quam, ipſis fatentibus, nullus in officio contineri poteſt; ſed opus eſt commento religionis, quamvis fabula abſurdiſſima ſit; Religionem à politicis fuiſſe excogitatam; tamen quum illi putant nemo hactenus potuerit oſtendere, quibus temporibus, quibus locis, vel à quo denique principe tanta fraus introducta fuerit; imò impoſſibile eſt, ut experientia ſatis docet, unum Univerſos poſſe decipere, vel ab uno Univerſos decipi; quia omni tempore inveniuntur homines aſtuti, atque ſagaces ad detegendas ejus generis fraudes; imprimis, cum ſua magnopere intereſſit, excutere talis ſupremi

premi numinis dominationem, quæ identidem incutit terrorem mortalium animis.

§. III. *Theodoro* coætaneus fuit *Stilpo Megarensis*, &, ut aliqui volunt, *Euclidis* auditor, qui tantum valuit dicendo, ut parum abfuerit, quin cuncta Græcia in illum intenta, in Megaram transiret. Aiunt, ita illum quemdam de *Phidiæ Minerva* compellasse: *Num*, inquit, *Minerva Jovis filia Deus est?* Quum verò annuisset ille, dixisse dicitur, *at illa non Jovis, sed Phidiæ est:* non ergo ipsa, (ita concludebat) *Deus*: qua ex re, quum in Areopagum pertractus fuisset, nihil inficiatum ferunt, imò rectè se loquutum asseruit, *non enim Deus erat, sed Dea:* Areopagitæ tamen nihilo secius continuò urbe excedere jusserunt. Denique, cum rogasset eum *Crates, an Dii precationibus, ac divinis honoribus gaudeant? Noli me*, inquit, *in via de hisce rogare, sed solum, ac seorsim.* Horum nihil *Hesychius Illustrius* in ejus vita commemorat, sed de ejus festivo ingenio & facundia, multa prædicat, & quandoquidem ex ejus operibus nihil est reliquum, non temerè inter Atheos recensendus irrisor lepidus, qui Idololatriam sui temporis non sine multo sale subinde jocosè perfricuit. Hujus temporis erat *Bion Boristhenites*, etiam Atheus à multis habitus, alias ignobilis, sed ab *Antigono*, Macedoniæ Rege in deliciis habitus, propter summam viri leporem & acumen ingenii: *Theodori* impii fuit assiduus auditor, à quo male de DEO sentire didicit, & profana multa effutire, de quo *Sam. Parkerus* habet sequentia. *Vir nulla alia re nisi importunis moribus, & lividis salibus, insignis; & hos quidem cum sermonibus, tum libris editis, fertur palàm & audacter suam adversus numinis existentiam opinionem defendisse; quâ de causâ istum primò* Cyrenis, *deinde* Athenis

Athenis *ejectum, aut judicio Areopagi damnatum, cicutam bibiſſe: hunc verò, cùm in nullum judicii periculum venerit, vitam impudicam & dogmatibus congruam egiſſe, & denique cùm in extremum morbum incidiſſet, ſummo cum conſcientiæ horrore & facinorum pœnitentiâ (quod plerumque accidit) in turpiſſimam & pluſquam anilem ſuperſtitionem delapſum vitam finiviſſe. Et utroſque quidèm longè ſceleſtiores fuiſſe, quàm fuiſſe accuſantur, hac ſola ratione, etiamſi nullo veteris auctoris teſtimonio, evinci poſſe non dubito, quod* Ariſtippi *diſciplinam ſecuti fuerint, cùm is nihil novi ſibique peculiare introduxerit, aut introducere ſudaverit, quàm Philoſophiam à pietate disjunctam. Etenim cùm à* Socrate *didicerat virtutem ſemper cum voluptate copulari, eâ relictâ, hanc ſolam arripuit, in eâque omne bonum vitæque felicitatem poſuit; neque ullam præter corporis ſeu ſenſuum titillationem agnovit, & proinde nihil niſi ut ventri laterique benè ſit curandum eſſe; & modo ejus voluptati conſulatur, nihil intereſſe quid agamus, cum nihil bonum aut malum ſit, niſi quod voluptatem aut dolorem efficiat. Poſthabitâ itaque omnis virtutis & vitii ratione, omnique Deorum hominumque curâ, Sapientem quicquid ſuis rationibus conducat acturum, & tempore locoque opportuno quicquam ſceleris commiſſurum. Quippe brevi hac vitâ quicquid felicitatis expectamus quoquo modo fruamur; cum impendeat mors, poſt quam nihil, quod aut eos aut alios pecudum greges attineat, ſuperſit, unde dolere vel lætari poſſimus. Poſthac utrum Deum negaverit necne, non inquiro, cum hujuſmodi decretis non aliter quid cenſuerit, declaret, quàm ſi audacter nullum eſſe dixerit: demptâ ſcilicet virtute animæque humanæ immortalitate, ſit an non ſit Deus, perinde eſt; cum nullius fructus in hac vita ſit, qualiſcunque relinquatur Religio, aut in altera eſſe poſſit: Et quicquid pietatis, qui hæc crediderint, præ ſe ferant, impudenter fingunt & mentiuntur. Quapropter mirari non oportet ſi mores inſtitutis convenire reperiuntur;*

si Tyrannorum sceleſtiſſimo ventris gratiâ adulatus fuerit; si vita in omni intemperantia, luxu, & libidine traduxerit; si nihil præter unguenta, meretrices, & convivia curæ habuerit; si vitia ſua palàm proferat & profiteatur laudanda; ſi denique libris editis alios ad ſuam immodeſtiam imitandam hortari audeat, & docere vitiis gloriari non erubeſcat, ut iis ſapientiam inſcribant, & luxuria in Philoſophiæ ſinu adſcendant, & quod unum habebant in malis bonum perdant, peccandi verecundiam. *Et Magiſtrum non modò ſecuti ſunt in dogmatum & morum impietate* Theodorus & Bion, *ſed (ſi fieri poſſit) ſuperaverunt, nugas eſſe Deos, & fabulas, qui de iis habentur ſermones libris editis docebant; omnes ad furta, perjuria, & rapinas hortabantur, omnemque non modò amicitiam, ſed & adverſus aut Patriam aut Parentes benevolentiam ludibrio & deſpectui habebant, neque ſcelera laudare ſatis reputabant, niſi virtutes omnes, & imprimis modeſtiam, in publicum odium & contemptum protraherent: uſque adeò impietas, ſi ſemet radices agere permittatur, gliſcit & incrementa facit, donec tandem ad ſummam impudentiam pervenerit.* Sed poſtremis vitæ temporibus incidens in adverſam valetudinem, ad ſaniorem mentem rediit, propterea à *Laertio* Græcis carminibus acriter perſtrictus, quæ Latinè ita ſe habent:

Bionem Boryſthenitem quem Scythica tellus produxit,
Dixiſſe audivimus, revera nihil eſſe Deos,
At ſiquidem id dogma tueri perſtitiſſet, meritò dicen-
(dus eſſet
Senſiſſe ut viſum fuiſſet. Et ſi male viſum eſſet.
At nunc, quum in longum morbum incidiſſet, ac mori
(pertimeſceret.
Qui Deos non eſſe dixerat, qui famum non videret,
Mortalibus qui illuſerat, dum Divis immolarent,

Non

Non pro foco ſolum, ariſque ac menſa,
Nidore, adipe, thureque Deorum nares implevit,
Nec ſolum peccavi dixit, delictis parcite,
Sed & anui collum facile porrexit excantandum,
Brachiique loris perſuaſus devinxit
Rhamnumque, & lauri ramum januæ impoſuit,
Cuncta adminiſtrare, magis, quàm mori paratus,
Stultus, qui mercede voluerit Deos eſſe,
Quaſi nunc eſſent, quum illos Bion demum eſſe arbitra-
retur.

Hæc eſt profecto omnium ferè Atheorum indoles, ut moribundi in turpiſſimam ſuperſtitionem & maximè ridiculam incidant. *Tullius Hoſtilius*, Deorum infrequens cultor, ipſe quoque magno morbo implicitus, tum adeò fracti ſimul cum corpore ſunt Spiritus illi feroces, ut qui nihil ante ratus eſſet minus regium, quam ſacris dedere animum, repentè omnibus magnis parviſque ſuperſtitionibus obnoxius degeret, religionibus etiam populum impleret, *Liv. Dec.* 1. lib. 1. Eapropter aliqui Athei non temerè queruntur de ſuorum aſſeclarum inconſtantiâ & tergiverſatione; quia pauci, vel nulli, firmi manent atque immobiles in ſuâ Sententiâ: Cauſa eſt inpromptu, à turpibus voluptatibus feriari coguntur, quæ eos à recto rationis uſu diſtrahebant, & jam tandem ad ſe redeuntes, Atheiſmo nihil ineptius aut periculoſius ſatis percipiunt, contrariam verò ſententiam valdè ſecuram benè intelligunt, quùm planè nihil ſecum adferat periculi, ſi eſſet falſa, nequidem minimum infamiæ, quia tum nemo foret, qui me pro ludibrio haberet, vel qui pœnas à me ſumeret, ſi nullus ſit Deus, & animarum immortalitas, quod ſi

detur (datur autem certissimè) tum væ & miseria incredibilis, familiæ Atheorum.

§. IV. Jam tandem tangit ordo *Epicurum*, *Neoclis* & *Chærestratæ* filium, patriâ *Athenienſem*. Sunt qui dicunt, quùm *Athenienſes* Samum ſortiti eſſent, illic illum nutritum eſſe, ac demum octavum vel decimum agentem ætatis annum, rurſus Athenas conceſſiſſe, quo tempore & *Xenocrates* in Academiâ, *Ariſtoteles* in Halcide, Scholam habebant. Defuncto autem *Alexandro Macedonum* Rege, & Athenienſium ſub *Perdicca* afflictis rebus, *Colophonem* ſe ad Patrem contuliſſe, ubi cùm aliquamdiu moratus eſſet, collegiſſetque diſcipulos, Athenas iterum rediiſſe dicitur, ibique cum cæteris in communi philoſophatum fuiſſe, deinde ſeorſum Sectam conſtituiſſe. Verùm enim verè *Diotimus* Stoicus infeſto adverſus illum animo acerrimè eum inſectatus eſt, quinquaginta circumferens impudicas & laſcivas, veluti ab *Epicuro* ſcriptas Epiſtolas. Quicquid ſit, hoc certum eſt, ab omnibus ferè Philoſophorum Sectis, impietatis atque Atheiſmi poſtulatum fuiſſe *Epicurum*; imprimis à Stoicorum ſectâ, illi maximè fuit reclamatum; neque minus à Judæis Scriptoribus, qui eouſque devenerunt, ut Atheum & Epicureum haberent pro ſynonimis. Vide *Buxtorf. Lexicon. Epictetus* quoque, ut laſcivius juſto loquentem fugillat. Inſuper memoriæ eſt traditum, bis illum diebus ſingulis vomere ſolitum fuiſſe, & nimiis deliciis ſolutum, corporeque adeò miſerè affectum, ut multos annos è ſella conſurgere nequiverit; minam interim quotidie in cibos conſumſiſſe, ut ipſe *in Epiſtola ad Leontiam* teſtatur. Multa alia hujus generis de ejus diſſluentiâ vitæ, atque crapulâ apud Authores paſſim inveniuntur. Sed nec ei defuere omni tempore Viri doctiſſimi, qui ab omni

omni impuritate vitæ eum acriter defenderunt, quùm ille non in turpi voluptate corporis poneret felicitatem, ſed in voluptate animi; ita ut quod Stoici vocarent *apathiam*, Moliniſtæ noſtri temporis *quietudinem animi*, atque nos ipſi *bonam conſcientiam*, *Epicurus* appellat *voluptatem*. Quod ſi ita res ſe habuerit, in hoc articulo non à vero abhorruiſſe videtur, quandoquidem ſine illa animi voluptate, certò certius nulla felicitas obtineri poſſit; vid. Sir *William Temple's Eſſay upon the Garden of Epicurus*. De ejus parſimonia prædicat multa *Laertius*, tacebo *Gaſſendum*, qui omnia congeſſit, quæ illi ornamento aut laudi eſſe poſſunt.

Quis furor, ô Cives, ut vos ob vile lucellum
Rixas, ut bellum ſollicitetis atrox?
Nam natura opibus facilè contenta puſillis,
Contenta nullis ambitio eſt opibus.
Hoc Epicurus *ait, dulces quem nempe Camenæ,*
Aut ſuadæ tripodes edocuere Sacri.

Sed quicquid ſit, de ejus moribus non ita laborabo, præſertim cùm graviſſimi authores de hac re minimè conſentiant, & quia non eſt neceſſe, ut quiſque Atheus illico omni diſſolutione vitæ & luxu diffluat, eapropter non ex moribus tantùm & vitæ inſtituto judicium de Atheiſmo ferendum, ſed etiam ex cujuſque opinionibus, de naturâ, principio atque omnium rerum causâ.

§. V. Quid verò de his opinatus ſit *Epicurus*, videndum nunc eſt: Phyſicam Epicuream in compendio ſic habeto: Principia eſſe individuas corporum naturas, ſive atomos in infinito ſpatio infinitas,

ſi enim, inquit, *eſſet infinitum vacuum, & corpora finita, nuſquam manerent corpora, ſed ferrentur per infinitum inane diſperſa, quam non haberent quo ſe figerent atque exhiberent. Quod ſi vacuum finitum eſſet, non haberent infinita corpora ubi ſubſiſterent. Inde mundum ex vacuo & atomis compoſitum infinitum eſſe ſtatuit; Atomis nihil attribuit præter figuram, magnitudinem & gravitatem, quarum mutuis cohæſionibus ac circumrotationibus infinitos mundos eſſe compoſitos, necnon corpora in iisdem ſingularia: animam vero ex atomis leviſſimis atque rotundis eſſe compoſitam, multum ab illis differentibus, quæ igneæ ſunt; pars tamen ejus, quæ ratione caret, corpori quoque reliquo connexa eſt. Incorporeum autem per ſe intelligere non poſſumus*, inquit, *præter vacuum; itaque qui incorpoream dicunt eſſe animam deſipiunt. Nihil enim aut facere poſſet, aut pati, ſi eſſet hujuſmodi.* Unde liquet, nullum poſſe dari Deum incorporeum ex ſententia *Epicuri*, niſi voluerimus pro Deo agnoſcere infinitum ejus ſpatium, quod neque agere, neque pati poteſt. Illicò reddit omnium animi perturbationem, cauſam, videlicet, quia non videntur multarum actionum atque phænomenorum cauſæ veræ atque primæ, inde ſibi metuunt, ne fortè detur aliqua ſubſtantia atque cauſa incorporea, qui metus eos etiam poſt mortem exagitabit, atque in hujus exilio ponitur animæ felicitas. Monet inſuper, mortem non eſſe timendam, *quoniam cùm non ſumus, mors non eſt; cùm vero mors adeſt, nos non ſumus, neque igitur ad viventes neque ad mortuos pertinet.* Hic non abs re duxi verba *Joh. Franciſc. Buddei* interponere: *Si quis*, inquit, *nonnulla* Epicuri *placita defendenda ſibi ſumat, eum ſimul neceſſe eſt, ut & numinis providentiam tollat, & immortalitatem mentis neget, & ſummam hominis felicitatem in dolorum & curarum abſentia, quam animæ tranquillitatem dixit, collucet. Contra, ſi quis aliquod*

Epi-

Epicuri *aſſertum, miſſis cæteris, aſſumat, ille quidem hoc ipſo à mente* Epicuri *diſcedit, nec quod docet, pro Epicureo dogmate venditare poteſt. Id quod* Petro Gaſſendo *contigit, qui Epicureus videri voluit, cum tamen præcipua* Epicuri *decreta rejiceret, atque refelleret: quo ipſo peccavit quidem, ſed minus tamen, quam ſi detorquere in alienum ſenſum veterum opiniones anniſus eſſet, quod* Juſtus Lipſius *fecit, ineptiſſimus potius Stoicorum adulator, quam Stoicæ Philoſophiæ reſtaurator dicendus. In præfatione ad Hiſtor. juris natural.* Has tamen videtur *Stillingfleetius* magis favorabiles, quam veras, *Diagoræ* & *Theodori* apologias nominare, quando deſtruentes Polytheiſmum atque cultum idololatricum, nullum alium rationalem cultum adſtruxiſſe deprehenduntur. Id quod non inepte *Epicuro* applicabimus, qui etiamſi conceptis verbis cum *Diagora*, eſſe Deos non ſit auſus negare, ne ſubiret fata eadem, nihilominus cùm nulla principia rerum agnoſceret præter Materiam,& circumgyratos fortuitò Atomos, non dubitamus, Gregis impii illum ducem ponere. Neque à noſtra hac ſententia abhorret *Cicero*, cum verba facit de pœnâ *Protagoræ*, propter iſta verba: *De Diis neque ut ſint, neque ut non ſint habeo dicere: Ex quo equidem tardiores exiſtimo ad hanc ſententiam profitendam, multos eſſe factos, quippe cùm pœnam, ne dubitatio quidem, effugere potuiſſet.*

§. VI. Deorum Democratiam, quam agnovit *Epicurus*, fuiſſe Comicam, potius quam veram, ſatis patet; cum eos in ſpatiis aliquibus intermundanis collocet, quæ ſpatia imaginaria à *Laertio* eleganter habemus deſcripta his verbis:

Illud item non eſt, ut poſſis credere, ſedes
Eſſe Deûm Sanctas, in mundi partibus ullis.

Atque porrò:

Quas neque concutiunt venti, neque nubila nimbis
Aſpergunt, neque nix acri concreta pruina,
Semperque innubilus æther
Integit, & largo diffuſo lumine ridet:

Epicurus tamen hos otioſos atque delicatulos Deos colendos dixit, non quod haberent nobiſcum quid commune, & noſtrarum rerum curam, ſed propter earum excellentiam, & naturam tenuiſſimam, atq; ſubtiliſſimam, quaſi tamen carneam & quaſi ſanguineam; unde dicitur Deos jocandi cauſa introduxiſſe *Epicurum* pellucidos atq; perflabiles, & habitantes quaſi inter duos locos, ſic inter duos mundos, propter metum ruinarum. *Poſſidonius* clarè affirmat, *Epicuro* nullos eſſe Deos; quæque is de Diis immortalibus dixerit, invidiæ deteſtandæ gratiâ dixiſſe. Vid. *Cudworth. intellectual. ſyſtem. pag.* 60. Qui, cum bonâ veniâ *Gaſſendi*, firmiter *Epicurum* pro Atheo habet, non obſtantibus ejus Diis ſubtilibus atque aëreis, dum paſſim affirmat, mundum eſſe factum à corporibus fortuitò motis, ſine moderatore, ita ut juxta cum *Democrito* ſtatuat, mundum ὠὸν τῆς νυκτὸς, *ovum noctis*, & merum *Tohu-ve Bohu*, pro cauſa ejus habuiſſe, vel magnum inane, unde *Laertius*:

Quodcunque erit, eſſe aliquid debebit id ipſum,
Agmine vel grandi, vel parvo——
Cur ſi tactus erit, quamvis levis exiguuſque,
Corporis augebit numerum ſummamque ſequitur.
Sin intactile erit, nullâ de parte quod ullam
Rem perhibere queat per ſe tranſire meantem,
Scilicet hoc id erit vacuum, quod inane vocamus.

Item:

Item.

Præter inane & corpora, tertia per ſe
Nulla poteſt rerum in numero natura relinqui.

Unde patet, nihil agnoviſſe *Epicurum*, (cujus amanuenſis *Lucretius*,) præter materiam, Philoſophiæ partem ignobiliorem, ut cauſam & principium omnium rerum; ſed de cauſâ motûs, atque operationem phyſicarum, nihil protulit, niſi ineptias; "Unde *Cicero in lib. de finibus*; *Cum in rerum* natura duo ſint quærenda, unum quæ materia ſit, ex quâ quæque res efficiatur? alterum, quæ vis ſit, quæ quidque efficiat? de materiâ diſſeruerunt *Epicurei*, Vim & cauſam efficiendi reliquerunt. Dum cauſam motus *Epicurus* ponit gravitatem atomorum rectis lineis deorſum tendentem; abſurdius vel inſulſius quid dici poterat? Cum infinito ſpatio, (cum adhuc nulla eſſet atomorum concretio,) neque ſurſum, neque deorſum ullo jure ſtatuere poterat. Adhæc cùm liberum arbitrium explicare voluerit, faſtigia inſaniæ tranſcendiſſe videtur, apud *Ciceronem lib. de fato*: "Itaque tertius quidam motus oritur extra pondus & plagam, quum declinat atomus intervallo minimo, quam declinationem ſine cauſa fieri, ſi minus verbis re cogitur confiteri——rationem hanc *Epicurus* induxit, ob eam rem, quod veritus, ne, ſi ſemper atomus gravitate ferretur naturali ac neceſſaria, nihil liberum nobis eſſet, quum ita moveretur animus, ut atomorum motu cogeretur. Hinc *Democritus* auctor atomorum accipere, maluit, neceſſitate omnia fieri, quàm à corporibus individuis naturales motus avellere." Horum verborum

ſumma

ſumma huc redit: anima humana compoſita eſt ex atomis rectè neceſſariò motis, ſed parum ad latus declinantibus, ergo anima debet eſſe in ſuis actionibus libera; quod ſi, more ſolito, in lineis rectis moverentur, tum actum eſſet de libero arbitrio. Et credo nihil abſurdius in mentem hominis inſani cadere potuiſſe, quum nulla planè relatio aut proportio inter atomos, & liberam agendi poteſtatem, ideoque non immeritò à *Cicerone* vehementer reprehenſus. *Hoc perſæpe*, inquit, *facitis, ut cum aliquid non veriſimile dicatis, & effugere reprehenſionem velitis, afferatis aliquid, quod omnino ne fieri quidem poſſit: ut ſatius fuerit, illud ipſum, de quo ambigebatur, concedere, quàm tam impudenter reſiſtere.* Veluti *Epicurus*, cùm videret, ſi atomi ferrentur in locum inferiorem ſuopte pondere, nihil forte in noſtra poteſtate, quod eſſet earum motus neceſſarius; invenit, quomodo neceſſitatem fugeret, quod *Democritum* fugerat: ait atomum, cum pondere & gravitate directè deorſum feratur. Hoc dicere turpius eſt, quam illud, quod vult, non poſſe defendere, *de Natur. Deor. lib.* 1. Sed cum de illo acriori contentione diſſentiunt Philoſophi recentiores. Quem, veteres omnes cujuſque conditionis, ſive Ethnici ſive Chriſtiani, omnibus diris devovent, & tanquam teterrimum & maximè apertum omnis numinis hoſtem & contemptorem inſectantur; operæ pretium duximus, paragraphos aliquos ex *Sam. Parkero* de vita *Epicuri* contra *Gaſſendum* alioſque obtendentes injuriam illi fuiſſe factam à ſecta Stoicorum illi inimiciſſima, & de voluptate animi intelligendum eſſe *Epicurum*, non de turpi voluptate corporis à ſenſuum craſſiore exercitio orta; ſed regerit *Parkerus* fuſius & doctè ſatis ad hunc modum: "His autem ſingulis ut accuratè reſpondeam, & liberaliter quo-

que

que agam; Imprimis, quantum volunt calumniarum tribuam Stoicorum malignitati; etenim novi hominum mores, quantóque odio in *Epicurum* alioſque omnes flagrârunt, ſi quis illorum barbas & ſupercilia contempſerint. Detur itaque *Diogeni Laertio* non omnia *Epicuri* eſſe quæ vulgò *Epicuro* imputantur, multoſque libros & impios & laſcivos illius nomine Stoicorum malitia fuiſſe confictos, atque adeò dogmata & decreta ipſi affingi potuiſſe, de quibus fortaſſe nullum uſquam mentionem fecerit. Atqui tamen eo quod ſpuria nonnulla illi ſuppoſita fuerint, idcircò quicquid in ejus libris reperiatur ſi minus defendi poſſit) omnino confictum eſſe dicere licebit? præſertim cum nulla hujuſmodi ſcripta proferunt niſi quinquaginta Epiſtolas à *Diotimo* confictas, cujus fraus & impoſtura (cum ipſe pœnas dederit) ſtatim detecta fuit. At neminem novi, qui ex ſuppoſititiis iſtis *Epicurum* criminaretur; ſed quotquot illum accuſarunt, ad libros de quibus nequaquam dubitatur ſemper provocant, ſuiſque ipſius verbis turpes ejus ſententias proferunt. Et ne omnes accenſeamus, quid ad *Ciceronem* & *Plutarchum*, qui Epicureis ipſa *Epicuri* dicta paſſim exprobrant, dicendum eſt. *Quid tergiverſamur*, Epicure, (inquit Cicero) *nec fatemur eam nos dicere voluptatem, quam tu idem, cum os perfricuiſti, ſoles dicere? ſunt hæc tua verba necne? In eo quidem libro, qui continet omnem diſciplinam tuam (fungar enim jam interpretis munere, ne quis me putet fingere) dicis hoc: Nec equidem habeo, quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates, quæ ſapore percipiuntur; detrahens eas etiam quæ auditu & cantibus; detrahens eas etiam quæ ex formis percipiuntur oculis, ſuaves motiones; ſive quæ aliæ voluptates in toto homine gignuntur quolibet è ſenſu; nec vero ita dici poteſt, mentis lætitiam ſolam eſſe in bonis;*

lætantim

lætantem enim mentem ita novi, spe eorum omnium quæ supra dixi, fore ut natura iis potiens dolore careat. Atque hæc quidem hîc verbis, quivis ut intelligat, quam voluptatem norit Epicurus. Et paulò post. *Non verbo solum posuit voluptatem, sed explanavit quid diceret, saporem (inquit) & corporum complexum, & ludos, atque cantus, & formas eas, quibus oculi jucundè moveantur. Num fingo? num mentior? cupio refelli: quid enim laboro, nisi ut veritas in omni quæstione explicetur?* Et denique, in libro primo de natura Deorum, sub *Cottæ* persona ad *Velleium*. *Quosque ludis* (inquit) *nam* Philo *etiam noster ferre non poterat æternari Epicureas molles & delicatas voluptates; summa enim memoria pronunciabat plurimas* Epicuri *sententias, iis ipsis verbis, quibus erant scriptæ,* Metrodori *verò qui est* Epicuri *collega sapientia, multa impudentiora recitabat. Accusat enim* Timocratem *fratrem suum* Metrodorus; *quòd dubitet omnia, quæ ad beatam vitam pertineat, ventre metiri; neque id semel dicet sed sæpius, Annuere te video, nota enim tibi sunt, proferrem libros si negares.* Quid quod deinceps Plutarchus *Epicuro* exprobret quod disertis verbis asseruerit, *Esse summum bonum circa ventrem; omnesque alios carnis meatus per quos se voluptas, non dolor insinuat; ac omnia præclara sapienterque inventa ad voluptatem, quæ circa ventrem, bonamque de ea non desitura spem pertinere?* Quid quod *Metrodoro* hæc verba objiciat? *Quam gaudens fidensque evasi, quod ventri ritè gratificari ab* Epicuro *didicit?* Et rursum, *Nihil attinet, ô* Timocrates, *Græcos servare, & sapientiæ ergo coronas ab iis reportare; sed comedere ac potare vinum, quantum & non noceat, & gratum sit ventri.* Quid denique quod toti contubernio objiciat, *Non cedere eos porcis ovibusque felicitatem; dum nimirum*

sta-

ſtatuum ad felicitatem id ſufficere, ut & carni & animæ circa carnem occupatæ bene ſit?

Iis qui talia ſcribere non erubeſcunt (ne alia innumera accumulem) non opus eſt commentis & calumniis infamiam creare; atque ſi quid Stoici in eorum injuriam finxerunt, tamen nihil turpius comminiſci poterant, quam quod de ſe ipſi palam teſtantur. Quid itaque teſtium tam celebrium tamque omni fide digniſſimorum auctoritati opponemus? An *Cicero* & *Plutarchus* Stoicorum exemplo mentiuntur? An meris calumniis in tam iniquam de viro optimo cenſuram ſe duci patiuntur? Nihil viris tam probis tamque doctis magis alienum. Neque enim quicquam Authoritatis aliorum teſtimoniis deferunt, nihilque ex ſuis ipſorum ſcriptis attulerunt. An ſpuria & commentitia ſunt iſta omnia? non dicendum eſt. Cur enim ſi ficta ſint, nemo antehac fraudem detexerit? præſertim Epicurei, cum ſibi toties & penè ad contumeliam obſcænas Magiſtri ſententias exprobrari audiverant; aut ſi omninò detexerant, non credo *Ciceronem* aut *Plutarchum* adeò os perfricare potuiſſe, ut poſtea tam fidenter ſua ipſi verba exprobrare inſtarent. *Num fingo?* (inquit Cicero) *num mentior? cupio refelli:* & alibi, *nota hæc tibi ſint; proferrem libros ſi negares.* At nemo quidem in hunc uſque diem aut negavit, aut negare potuit; niſi quod *Diogenes Laertius* locum unum è libro de fine citatum, interpolari dixerit. Et ſit ſane, atqui tamen dempto iſto, ſatis ſuperque teſtimonii relinquitur in mille aliis quæ ſuperſunt, quæque nemo uſquam in ſuſpicionem evocare potuit.

§. VII. Sed & de iſto quoque loco paululum inquiramus; cur quod germanum credidere *Cicero* & *Plutarchus* nos interpolatum crederemus? Aut unde iſtam

iſtam fraudem quæ ſuperioribus omnibus impoſuerat; detexit *Laertius*? Num alia librorum exemplaria protulit quam quibus uſi ſunt egregii iſti viri? Num antiquioris cujuſpiam ſcriptoris authoritate aut ſuſpectum aut ſuppoſititium eſſe comprobavit? Nihil horum: ſed vir mediocris judicii, & Epicureæ ſectæ immodicè addictus, quicquid *Epicuri* laudibus aliquid detereret, ea ſolum de cauſa omnino tollendum eſſe voluit. Atque adeò tum iſtum locum, tum alia ſimilia, nulla auctoritate, ſed ſola hominis probitate depellit. Verùm de moribus poſtea, interim qualeſcunque fuerint, librorum fidei eorum causâ detrahere non oportet, cùm fieri poſſit ut vir improbus ſobriè & moderatè vivere cogatur; id quod de *Epicuro* ſuſpicari licet, cùm infirmâ admodum valetudine ſemper uſus fuerit, utcunque igitur vixerit, non è vita ſed è libris, quid ſcripſit, petendum eſt; atque adeò *Diogenis* cenſura *Epicurum* talia non ſcripſiſſe, nullius momenti habenda eſt, cùm nulla veriſimiliori ratione ſuffulciatur, quàm virum tam probum tam improba ſcribere non potuiſſe. At iſto pacto quicquid è quoquo ſcriptore ad libitum licebit delere, librorum itaque fides tam vanis conjecturis nullo modo labefactanda eſt. Et niſi aut antiquiora exemplaria aut teſtimonia quæ opponeret, habuiſſet, ſuam libris auctoritatem illibatam conſtare oportet; cùm alioqui omnis omnibus antiquorum ſcriptis & monumentis fides funditus tollatur. Neque quidem ea qua oportebat ſimplicitate nobiſcum egit *Laertius*; etenim cum longa criminationum ſeriem recenſuerat, eamque maledicentiæ accuſatione erga antiquiores omnes clauſerat; tandem ambiguè ſatis quid ipſe cenſuerit, uno verbo pronuntiat, μεμήνασι δ' ὅτοι, *verum iſti quidem inſaniunt.* At quinam ſunt iſti? An omnis qui quippiam *Epicuro* objiciunt? an poſtremi

poſtremi qui maledicentiam? an denique qui argumenta aut impietatis, aut intemperantiæ, aut malevolentiæ inde deſumunt? Si prius, negat quod refellere debet; ſi poſterius, ludit, nihilque ad hunc locum excipit, interpolatus ſit necne; ſi poſtremum, tranſit à teſtimonio ad argumentum, neque inficias it vera eſſe teſtimonia, ſed improbitatis argumenta ex iis deſumi negat: Utcunque ſit, hoc certum eſt non majoris eſſe ponderis *Laertii* hac in re, quam recentioris cujuſque auctoritatem, niſi antiquorum quoque auctoritate ſuffulciatur. Cùm autem iis non modo prorſus deſtituta ſit, ſed omninò repugnet, ſatis conſtat eum pro nimio in *Epicurum* affectu, temerè & nimis fidenter quicquam in illius defenſionem dicere velle. Quæ dicta velim, ut licentiæ quam ſibi ſumunt *Epicuri* defenſores obicem ponamus; nec ſcilicet quoniam fictæ quædam Epiſtolæ contumeliæ & obſcœnitatis plenæ illi ſupponuntur, idcircò ſi quicquam ſimile in genuinis ejuſdem ſcriptis occurrat, ea duntaxat de cauſa ſimilis fraudis ſuſpicemur. Et quidem ſi id quoque concedamus (& ſi placeat concedimus) tamen quicquid calumniæ Stoicos ipſi affinxiſſe obtenditur, ipſius principiis ſuorumque Apologiis jure objici oportere demonſtrabimus. Quod, duobus quæ ſuperius dicta ſunt, capitibus jam probare aggredimur. Imprimis eum nullos agnoviſſe Deos, nullumque Deorum cultum: deinde nullam voluptatem, niſi corpoream & belluinam, ad vitam beatam præſcripſiſſe. Primùm, ſive rationes, quibus eorum exiſtentiam probaverit, ſive deſcriptiones quibus eorum naturam delineaverit, expendamus.

§. VIII. Circa prius, neque quicquam tam cordi habuit, neque cuique tantam operam dedit, quàm ut ſolidiora quæque ſapientum ratiocinia funditus elevaret,

elevaret, nullaque argumenta nisi à populi præjudiciis desumpta, quæ ipsæ cum primis contempsit, afferret. Quippe cum è solertissima mundi omnique ejus partium dispositione perspicuum sit quendam fuisse opificem, qui omnia præstantissima arte construxerit, nihil minus ille ad tanti opificii constructionem adhiberi voluit, sed commentis quibuscunque usus est; quibus, eo secluso rerum naturam eum, quo constat ordine, adipisci posse explicaret. Quo solo conatu quem ad scopum collimare voluit, nimis apertè ostendit; cum nullo alio consilio id agere potuit, nisi ut omnem de Numinis existentiâ certitudinem omnino tolleret; quâ sublatâ, quid supereſt nisi populi opinio? Atqui supereſſe, & satis esse dixit; dixit quidem, quis verò populum insolentius quàm ipse *Epicurus* contempsit? Annon disertissimè omnes multitudinis opiniones de Diis tanquam falsas suspiciones aspernari suos monuit? Verum ista levia sunt, cum nihil sit *Epicuro* familiarius quam ipsum sibi contradicere, quanquam tam crassa & perspicua secum dissensio in homine non prosus fatuo, quid reverà velit nimis apertè prodit, sc. cum Deos esse nollet, neque argumenta quibus esse probari posset, populo tamen, quem timeret, tantùm deferre se simulavit, ut sola illorum opinione victus, Deos esse crederet. Quanquam interim inter privatos parietes nihil aut sæpius aut vehementius discipulis dictitaret, quam ne cum populo sentirent, cum multitudinis sit semper & in omnibus, præsertim de Diis, & decipi & decipere.

Atqui unde ista tam firma omnium de Diis notio & consensio? Ab anticipatione, inquit. At nullam anticipationem novit *Epicurus*, nisi quæ extrorsum advenit, mentique sensuum ministerio imprimatur; scil. cum quicquam vidimus, illius effigiem aut monumentum

numentum memoria tenemus, ad quam reſpicientes quoties eadem res rurſum occurrit, ejuſdem anticipationem, ſeu prænotionem habere dicimur. At verò quî aut quando aut cui mortalium (ſi *Epicuro* fides) apparuere Deorum numina? Cum innumerabilibus ſtadiis intra proprios cancellos incarcerari longè ab omni hujus mundi commercio amoveantur; adeò ut prohibeat tum loci diſtantia tum murorum craſſitudo, quo minus ad ſenſus noſtros quævis ab iis ſimulachra perveniant. Quanquam ſi propius admoti forent, adeò tenues ſunt eorum naturæ, cum ſint *quaſi corpora*, nihilque concreti aut ſolidi habentia, ut ſi hucuſque pervenirent eorum ſimulachra, ſenſus tamen noſtros ferire nequaquam poſſent, cum illos nihil moveat aut afficiat, niſi quod corpoream craſſitudinem habeat. Neque verò ſi quicquam ſoliditatis haberent, quoquo modo percipi aut ſentiri poſſent, cum ſecundum *Epicuri* decreta, omnis ſenſatio quibuſdam corpuſculis peragatur, quæ à ſenſibili effluentiâ tandem ſenſorium pulſent; atqui ſi talia effluvia è divinâ ſubſtantiâ avolarent, actum de illius æternitate foret cùm perpetua partium detractione exhauriri, & tandem penitus interire neceſſe eſſet. Novi equidem *Epicurum* tantoperè ſui, ſuorumque Dogmatum amore occœcatum eſſe, ut vix quicquam aut nihil præterea videat; tamen adeò oculis captus fuiſſe non potuit, quin tam obvia & perſpicua clarè intueretur; & tamen, quod concedere non poſſit homo ſuperbus, ei pergit impudenter reſiſtere. Duplici ratione (inquit) gignitur anticipatio, vel *comprehenſione*, cum ſimplex rei ſpecies, quæ in ſenſum incidit, mente teneatur; vel *comparatione*, ad quam ratiocinatio requiritur, cum ex ſpecie concepta mens aliquid inferre pergat, quâ ratione Deos cerni declarat. At eum omnis

anticipatio per comparationem intellectûs ex ea nascatur quæ per sensuum comprehensionem fiat, si Dii sensibus non percipiantur, nulla alia ratione ad mentis contemplationem pervenire possent. Ludit itaque (ut semper) *Epicurus* cum notitiam Dei ratione percipi vult, cumque nihil ratione percipi posse vult, nisi quod prius aliquo sensuum percipiatur. Neque quidem felicius rem expedit *Gassendus*, cùm eam excusare & explicare aggressus fuerit; anticipationem nimirum de DEO duplici potissimum sensûs ministerio, auditus scilicet ac visus induci: Auditus, quatenus quopiam describente pronunciantéque esse DEUM, is qui audit, format conceptum in mente prout describi DEUM percepit, assentitur pronuncianti quem fide dignum arbitratur: Visus, etiam, quatenus nullo monente potest mens, ex iis quæ sunt per visum comprehensa, conceptum de DEO formare, seu tanquam Principe, quo non possit magis mundus quam respublica carere; seu tanquam Imperatore, quo ut exercitus sic mundus indigeat; seu tanquam Gubernatore, qui mundum, velut navim regat; seu tanquam Chorago, qui partes mundi, ut chori moderetur, juxta prænotionem qua præjudicatum habet, non esse ordinem sine ordinante.

At quam infelix labor est res excusare, quæ excusari nolunt. Cum posteriori anticipatione quam ex visu haberi voluit, ipsi *Epicuro* in os contradixerit, qui scilicet id imprimis in omni Philosophia laboravit, hunc quem videmus ordinem sine ordinante esse posse; DEIque notitiam è mundi contemplatione deduci non posse. Priori eodem quo prius devolvitur rei probatio, scilicet in populi rumorem, quem tamen *Epicurus*, præ aliis omnibus, aspernatus est, atque insigni isto loco in Epistola ad *Menœceum*, germanas de Diis prænotiones falsis multitudinis suspicionibus

cionibus ſemper opponi voluit; at parvi eſt ſibi *Epicurum* contradicere, majoris eſt plerumque nihil dicere. Sic enim ſi rurſus ab eo percontemur unde iſta tam firma hominum omnium de iis conſenſio? ab anticipatione, inquit. At unde iſta anticipatio? eam ab hominum conſenſu ortum habuiſſe prius definiverat. Neque felicius rem explicare potuit *Gaſſendus*, cùm communem de Diis opinionem ab anticipatione deduceret, & viciſſim anticipationem à communi opinione. At ut omni candore cum tam eximii candoris viro agam; detur *Gaſſendo Epicurum* à majorum traditione, DEI notitiam accipere potuiſſe; atqui quid profuit ſi noluit? ſiquidem nullum omnino Deorum cum hominibus eſſe aut uſquam fuiſſe commercium expreſsè docuerit. Qui itaque anticipationem ſeu notitiam de DEO quoquo modo habere potuiſſe ex auditu? cùm ea nec ortum habeat à proprio ſenſu nec ab alieno; nec enim ſi quis ſe DEUM quovis ſenſuum percepiſſe dixerit, fide dignum arbitraretur, ſed potius aut impoſturæ aut delirii accuſaret; cùm eâ anticipatione præoccupatus ſit, nihil minus fieri poſſe quam Deos quicquam cum hominibus communionis habere. Dicet fortaſſe *Gaſſendus* à primis generis humani Parentibus primum traditum eſſe Cœli & Terræ Conditorem, atque anticipationem ab ea traditione omni fide digna ortum duxiſſe. At pro ſe dicat, non pro *Epicuro*; cùm ipſe fidentius nihil quàm omnem mundi opificem aſpernatus fuerit; omniaque (Numine ſecluſo) caſu & fortunâ tum fieri poſſe, tum facta fuiſſe imprimis decreverit; atque adeò, qui proximi ad rerum initium vixerunt, non alia ratione ad DEI notitiam pervenire poſſent, quàm qui poſtea, quique hodie; adeò perſpicuum eſt ex *Epicuri* effatis tum nullam omnino anticipationem ad mentem niſi per ſenſus permeare, tum nul-

lam de DEO per sensus transire posse, quod perinde est ac si simpliciter & apertè quamlibet de eo notitiam haberi posse negaverat.

§. IX. At denique, si interius & propius accesserimus; post has omnes de anticipationum principio & criterio captiones, eas tandem neque à sensibus neque à ratione, sed solis ab insominiis ortas fuisse docuit; id quod diserte de eo testatur ipse *Diogenes Laertius*, cum ratarum sententiarum primæ proximè subjungit, Ἐν ἄλλοις δ' φησὶ τὰς Θεὰς λόγῳ θερήτας, ἃ μεθ' ἀριθμὸν ὑφεστῶτας, ὡς δῆς καθ' ὁμοιοδείαν (ἐκ τε συνεχῶς ἀπορρύσεως, τῶν ὁμοίων εἰδώλων ἐπὶ τὸ αὐτὸ ἀποτελεσμένων) ἀνθρωποειδεῖς, *Aliis verò in locis aut Deos menti apparere nullo numero aut soliditate consistentes, sed similitudine quasi hominiformes propter affluxum continentem imaginum ad exhibendam menti nostræ talem naturam comparatarum.* Quibus apertissimè homines in Deorum conceptum nulla alia ratione venisse declaratum est, nisi innumerabilum phantasmatum & imaginum hominibus similium affluxu, quæ animis nostris apparere videntur.

§. X. Neque magis illâ alterâ fraude reprehensionem effugisse videntur Epicurei, se scilicet non intelligere illam corporis voluptatem, quæ in motu ipsaque voluptatis actione consistat, sed eam quæ in stabilitate, seu tali animi tranquillitate, quæ omni dolore detracto, percipitur. Cùm ista quoque felicitas, quæcunque sit, tota in corpus refundatur, eò quòd mens nihil habere possit, quò gaudeat; nisi quod corpori bene sit. Immo, inquiunt, non modò quod corpus dolore, sed quod mens ipsa omni molestiâ & ægritudine liberetur; atqui nihil est, inquam, secundum Epicureos, quo animo dolendum est, nisi quod corpore doleamus, adeò ut ista animi tran-

tranquillitas in idem redeat cum corporis indolentiâ; ſicut & corporis indolentia in eam tandem voluptatem deſinit quæ in motu conſtituitur, cùm nulla ſit felicitas, neque animi neque corporis, niſi quæ actione quadam percipiatur; ſi enim nulla ſit perceptio, quam tranquilla cumque quiete fruamur, non beatiores ſumus quam ſaxa & ſtipites; atque idcircò non in ipſa quiete ponitur felicitatis vis & ratio, ſed in iis actionibus, quibus optimè gaudere poſſumus, dum quieti ſumus; eæque ſunt omnes aut corporis aut animi; corporis, quatenus ſenſus ſuavi & jucundâ motione afficiatur; animi, quatenus corporis voluptatibus delectetur; at in corpore detracto omni ſenſu non major erit voluptas quàm in cadavere: adeò ut planè tandem omnis ejuſdem felicitas in ipſam ſenſuum oblectationem reducatur. Neque quidem aliam voluptatem confert ipſa corporis ſanitas ſeu doloris amotio, niſi quod dum ea fruamur, illius voluptatibus jucundius frui poſſimus, cùm nihil aliud habeat corpus, quod agat aut quo ſibi placeat. Neque etiam quicquam confert mentis tranquillitas, niſi quod cum nullo angore crucietur, ſe delectet corporis voluptates contemplando, dum de præteritis meditetur & futuras expectet, ſcilicet cum quas qualeſque animæ voluptates intelligant, aperire velint, ei nihil vitæ beatæ tribuunt, niſi quod ſpe aut memoriâ corporis voluptatibus, quotieſcunque velit, frui valeat. Poſthæc nihil refert an Stoici Epicureos calumniati fuerint necne: cum iis nihil turpius ſuis omnibus calumniis affingere potuiſſent, quam ipſi de ſe in defenſionibus ſuis fateantur. Quid enim ſi nunquam dixiſſet *Epicurus*, *Nec equidem habeo quod intelligam bonum illud, detrahens eas voluptates quæ ſapore percipiuntur; detrahens eas etiam quæ auditu & cantibus; detrahens eas etiam quæ ex formis percipiuntur oculis, ſuaves motiones, ſive quæ alia*

voluptates in toto homine gignuntur quolibet è ſenſu? Quid ſi nunquamdi xiſſet ſapiens *Metrodorus, Omnia pluchra, ſapientiâ & ſubtilia animi inventa, propter voluptatem carnis ſpeſque eo pertinentes eſſe conſtituta, & omne opus inane eſſe quod non eodem tendat?* Quid ſi ad fratrem *Timocratem* nunquam ſcripſiſſet, *Quanto ſum gaudio perfuſus, quantâ audaciâ animatus, quod ventri ritè gratificari ab* Epicuro *didici?* Si enim non dixerint, dicere oportebat, cum nil niſi iſtiuſmodi flagitia omnis eorum diſciplina doceat; ſi enim vita beata in ſolâ voluptate ponatur, ſique nulla ſit niſi corporis voluptas, neque corporis, niſi quæ è ſenſuum fruitione oriatur; calumnientur pro ſua malignitate Stoici, nunquam quicquam turpius de iis fingent, quam de ſe ipſi dixerint; & quid mirum! cùm nihil turpius aut dici aut fingi potuiſſet. Sed vitam ſobriam (alunt) & frugi cibiſque ſimpliciſſimis contentam vixit *Epicurus* Quid inde? cum non de moribus ſed de dogmatis quæratur, quæ talia fuiſſe demonſtravimus, ut quomodocunque vixerit, nil niſi ut corpori & cuti bene eſſet, cordi habere poſſet. Et quidem quanquam probus nequaquam foret, potuit non eſſe inſanus; ita ut ſi parcius victitaverit, non virtuti ſed ventriculo debeatur, quem ferunt adeò non robuſtum habuiſſe, ut quotidianâ vomitione exonerare coactus ſit. At quibus moribus cum ſuo contubernio vixerit, ſibi ſolis notum eſt, cum inter proprios hortulos delituere, ita ut quicquid ſceleris commiſerint, inter ſe & ſine teſtibus peractum ſit. Atqui nihil iſtiuſmodi hominum gregi eſt familiarius, quàm cùm omnia flagitia inter ſe patrari noverint, ut nihil non probitatis & virtutis de ſe invicem jactarent. Verùm, inquiunt, ipſe morti jam proximus, cùm detraherentur omnes corporis voluptates omneſque animi larvæ, en quanta in lætitia

lætitia fuerit. *Cùm ageremus vitæ beatæ & eundem ſupremum diem, ſcribebamus hæc. Tanti autem morbi aderant veſicæ & viſcerum, ut nihil ad eorum magnitudinem accedere poſſet; compenſabatur tamen eum his omnibus animi lætitia, quam capiebam memoriâ rationum inventorumque noſtrorum.* Quænam inventa? DEUM res humanas non curare; hominum animas morte extingui; nihil felicitatis poſt hanc vitam nos manere; nihilque in hac vita, niſi quod ad corpus pertineat, eſſe? At iſta ſanè ſolatia nulla cuiquam jam morituro, imò nihil niſi angorem & deſperationem afferre potuiſſent. Cùm ſi retrorſum reſpiciat, quæ fuere voluptates, exoletæ ſint, ſi prorſum imminet æterna mors, quam præ omnibus malis non potuit non timere; cùm ex eodem naturæ affectu quo ſe amet, ſui interitum exhorrere neceſſe ſit. At ſi typhus, quo tantopere intumuit aperiatur; animal gloriæ vana ſpe ſibi adblandiebatur, apud diſcipulos & ſucceſſores, in magno honore habitum iri. At utcunque ſit & quibuſcunque argutiis ipſe ſe fallere potuerit, nulla felicitate, ſi ſententiæ conſtet, frui potuit, niſi dum pinguis & nitidus benè curata cute foret. Sed de *Epicuro* plus ſatis.

§. XI. De *Lucretio* lubet hic paucis meminiſſe, qui Philoſophiam Epicuream carminibus latinis eleganter cecinit, & veſtigia magiſtri aſſiduè preſſit; niſi forte minimè conſtare ſibi videatur, dum invocatione *Almæ Veneris* ſuum Poema orditur, cùm in ſequentibus nullum DEUM agnoſcere voluerit. Verſus iſti initiales ita ſe habent:

Æneadum genitrix, hominum divumque voluptas,
Alma Venus, cœli ſubter labentia ſigna.

Qua mare navigerum, quæ terras frugi-ferenteis
Concelebras ——
Te sociam studeo scribendis versibus esse,
Quos ego de rerum naturâ pangere conor.

Conformat se proculdubio loquendi formulis poeticis, quæ obtinebant istis temporibus, quia ipse Diis omnibus hostem infensissimum se præbet, neque ullam moderationem, vel providentiam in mundo esse agnoscit, ut ex sequentibus videre est:

Omnis enim per se Divum natura necesse est,
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota ab nostris rebus, sejunctaque longè,
Nam privata dolore animi, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nihil indiga nostri,
Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira.

Pergit, *Epicurum* supra modum extollens, qui liberavit homines à metu Deorum, omniaque scelera isto infrænato metu profecta fuisse ausus est affirmare: & postquam, sacrificio *Iphigeniæ Agamemnonis* filiæ, multis reclamasset, tali concludit Epiphonemate:

Tantum Religio potuit suadere malorum!

Insuper gloriatur, se vias antea inaccessas tentaturum.

— *Avia Pieridum peragro loca nullius ante*
Trita Solo. ——

Thomas

Thomas Creech Oxonienſis, Vir doctiſſimus, non ita pridem ad *Lucretium* edidit notas, & multa bona de authoris moribus prædicavit; quinetiam in linguam vernaculam metrice traduxit, ut ea verſio Anglicana cum latino carmine contendere videretur, atque lauream omnibus Poetis Britannis eripere exiſtimaretur; hinc populari innixus auræ, magno animo *Horatium* aggreſſus ligato ſermone donare, ſed (ut fama iſtis temporibus ferebat) iratis Muſis atque invitis, quod ille tam indignanter & moleſtè tulit, ut eodem, vel ſimili fato ſit functus, quo ipſe *Lucretius*, qui manus ſibi injecit violentas; Triſtiſſimum quidem fatum, ſed memoratu dignum.

§. XII. Hactenus de Atheis, qui aut per qualitates & formas, vel per atomos & inane philoſophati ſunt, reſtat tertium Atheiſmi genus *Hylozoicum*, paſſim apud *Cudworthium* dictum, cujus inventor *Strato Lampſacenus* fuiſſe dicitur, phyſicus autem idcirco appellatus eſt, quòd in ea ſpeculatione præ cæteris diligentiſſimè verſatus ſit. Fuit autem & præceptor *Ptolomæi Philadelphi*. Nullum præter materiam DEUM ſtatuebat, ſed ut evitaret abſurditates Epicureas, ex concurſu atomorum fortuitò promanantes, vitam materiæ eſſentialem eſſe dixit. Imò quælibet atomus vita, atque appetitu & perceptione ſecundum *Stratonem* erat animata; quæ repetitis actibus atque exercitiis, facultatem dicurſivam, & fruitionem aſſequi poſſet, ut maximo ſuo commodo & utilitate ſeſe diſponeret, & ſibi provideret, ut plane hoc pacto non opus eſſet ullo Numine. Quapropter apud *Ciceron. lib. 1. de natur. Deor. Nec audiendus* Strato, *qui phyſicus appellatur, qui omnem vim divinam in natura eſſe ſitam cenſet, quæ cauſas gignendi, augendi, minuendique habeat.* Huc referendus

rendus eſt *Diodorus Siculus*, judicio *Stillingfleetii*, quia paſſim ejus hiſtoria Atheiſmum ſapit: Imò hinc inde inſinuat, ſe in ſententia *Euhemeri* Meſſenii fuiſſe, omnem Religionem à Politicis eſſe excogitatam affirmantis. In principio ſuæ hiſtoriæ, duas fuiſſe Philoſophorum ſententias ait, de mundi Origine, unam, mundum in eodem ſtatu quo eſt, ab æterno fuiſſe; alteram verò, ex indigeſta mole, omnia atque ſingula corpora ſenſim à ſe invicem ſeparata, atque in haſce formas, quas jam induunt tandem redacta; atque terram, calore ſolari tepefactam & imprægnatam, produxiſſe animalia bruta, atque homines. Ut ſi quis collationem inſtitueret inter *Diodorum* & *Lucretium*, illum ab hoc doctrinam ſuam de rerum formatione accepiſſe mutuam conſtet. Quandoquidem tempore *Diodori*, quod fuit *Auguſti*, in magno pretio erat *Lucretii* Poema, & ille linguæ latinæ benè gnarus. Adde, quod hæc philoſophia ſtabilit ejus hypotheſin de rerum origine: refert mures à limo Nili calore ſolari quotannis productum iri; & quidni & animalia cætera. *Ovidium* habet Verſus hujus commatis nonnullos.

Altera pars vivit, rudis eſt pars altera tellus.

Sed hæc ſunt verba fabuloſa nulli fidei, niſi Ægyptiacæ innixa; iſti mures enim aliunde, veroſimiliter vi aquarum ferebantur, & ſubſidente Nilo, extricabant ſe à limo jam indureſcente, in quo, ut antea, mures vivere non poterant. Recentiores Philoſophi atque Medici ſatis probarunt, omnia animalia quantumvis minima, ova ponere, è quibus perpetim fœtus excluduntur; ut meritò omnes ejus generis fabulæ à doctis explodantur.

CAPUT VII.

§. I. HI ſunt præcipui, qui Atheiſticè philoſophati inter antiquos; fateor alios eſſe hujus impietatis poſtulatos apud *Ciceronem lib. de Natura Deor.* alioſque Authores; ſed aliquando minus rectè, atque ſæpius propter ſermones aliquos Diis gentilibus nimium infeſtos. Poſt tempora JESU CHRISTI, per multa continua ſecula, hæreticos quoſvis peſſimos invenies, qui *Polytheiſmum* introducere in Eccleſiam, atque abſurdiſſimè varios *Æones* ponere maximoperè conati ſunt. Sed qui directè Atheiſmum ſtatuerit, vix invenies; *Lucianus* equidem apud authores Atheus audit, ſed forſitan injuriâ, cum præcipuus illius ſcopus in eo ſit poſitus, ut vanitatem cultus gentilium ob oculos poneret: Chriſtianos etiam aliquando acerbè ſatis, & petulanter, more ſuo profano, ſcommatibus excepit, ſed quod Numen ſupremum exiſtere negaret, percipere ego quidem ex ejus ſcriptis non poſſum. Et poſtremò *Plinius* eſt recenſendus, quem Philologum potius quam Philoſophum appellemus, qui ingentem rerum farraginem nullo judicio, nulloque delectu cumulavit; in his & viris quibuſdam politicis brevi expiravit Epicureæ impietatis ſucceſſio. Non modò quod fidei Chriſtianæ ubique per orbem promulgatione extincta foret, ſed quod Reges nimium experiundo edocti, tam pernicioſa dogmata, quæ omne regimen planè evertebant, coërcere, ſui imprimis intereſſe reputarent. Neque rurſum caput efferre potuit

potuit ante ultimum quod effluxit ſeculum, & primum *Italiam* invaſit. Quo cœlo cum acrioris ingenii homines ſemper naſcuntur, mirum non eſt ſi quidam vafra animi levitate ducti vim & acumen ſuum, ſingulari nequitia oſtentare cogitent. Cum igitur poſt diuturnam multorum ſeculorum barbariem bonæ literæ à viris quibuſdam cordatis revocari cœperunt, quidam aut quod ſibi nominis gloriam quavis alia ratione aſſequi deſperaverant, aut quod ambitione & innovandi ſtudio capti fuerant, flagitioſa quædam & impia dogmata ſecreto & è gurguſtiis auſi ſunt murmurare. Primi autem quibus huic ſtultitiæ viam aperire licuit, tuti & incolumes Ariſtotelis autoritate muniti latuere: Quam maximam cum in ſcholis tot Seculorum ſerie obtinuerat, ſi quis eam ad fidem dogmati cuivis faciendam interpoſuerit, nihil aut malitiæ ſuſpicari aut periculi extimeſcere potuerunt. Mirifice lætabatur tota Reſpublica literaria, inquit *Wendelerus, de doctis Italiæ Naturaliſtis*, cum inter barbariem maximam terrarum omnium Occidentalium, divina tandem benignitas Viros excitaret Doctrinæ gloria florentes, qui elegantiora ſtudia, arteſque ad humanitatem omnes pertinentes, è ſitu quaſi ſuo in priſtinum vigorem revocabant. Nam monachorum deliriis tot ſeculis meliora ingenia ac ſtudia craſſiſſimæ Romani Papatus corruptelæ occuparant, ut in provinciis plurimis occultus planè ac prope penitus extinctus ſplendor literarum videretur. Hinc modis triumphabat omnibus, cùm tantos inter renaſcentes literas videret Viros, qui maximis Principibus autores erant condendæ ubivis ampliſſimæ Libraríæ Supellectilis, ut tum ad ſtudia politiora adſpirantibus non deeſſent neceſſaria doctrinæ inſtrumenta, quibus impenſo ſibimet ipſis theſauro eruditionis comparato ab omni literatura maximè inſtructi redderentur.

§. II.

§. II. Dolebat verò magnopere, quòd reſtituto nunc ope cœleſtis Numinis divino cultu, atque efflo-reſcentibus indies muſarum domiciliis, plërique homines ad oſtentandum ingenii acumen, ut variarum rerum in agnitione verſarentur, per totum vitæ tempus ita ſtudiis navarent operam, ut ex profanæ ſcientiæ pruritu, frivolarum opinionum, quas dudum in ſuperioribus ſeculis orbis Chriſtianus profligerat, nimium electione delectati divini cultûs ſanctiſſimi, vel, planè obliviſcerentur, vel nimia inſanientes curioſitate chimærico, Scholaſticorum more, myſtica ſacra otioſis ſpeculationibus indignis Chriſtiano homini, perſcrutarentur.

§. III. Deſcendendum eſt itaque ad ſecula proxime elapſa, atque inprimis *Italia* nobis erit examinanda, quæ impiorum hominum ſemper fuit feraciſſima, teſtante *Petro Mattheo*, Hiſtorico-Gallo, in Hiſtor. Henrici IV. *Ingenia* (ſcribit) *quorundam in Italia ſunt ſatis libertina, & quò propiora ſunt Pontifici, eò minus fulmen Vaticanum curant; de Anima, opinionem in deliciis ac voluptatibus ponunt, eamque pro ſalis grano habent, quod corpus à corruptione tutum ſervet, atque in hoc unicè incumbunt, ne homines videri queant.* Sïc etiam Author alius, à *Spizelio* allegatus: *Si Atheos quæris, nuſquam plures, quam in ipſa Roma invenies; Quot Romæ Cardinales, quot Prælati, quot Regulares, irregulares ſunt, quibus facilius ex* Homero *aut* Virgilio *purgatorii fabulas perſuaſeris, quam reſurrectionem mortuorum.* Addamus verba Apolog. *Wilhelmi* Principis Arauſionenſis, pag. 66. *In Domo principis Parmenſis Atheiſmus & aliæ Virtutes Romanæ in deliciis habentur, & hujuſmodi nuſquam uberius invenias, quam apud hæredes Petri Aloyſii.* Hinc etiam *Melanchton* aliquando

quando Italo-Theologo occinnebat; *Vos Itali vultis disputare, Deum seu Christum esse in Eucharista, quem non creditis esse in Cœlo.* Neque abs re nostra erit Historia *Sabini, Melanchtonis* generi, qui cum per Italiam peregrinaretur, & Cardinalem *Bembum* ob celebritatem nominis salutaret; ab eo fuit interrogatus, quid *Melanchton* de immortalitate animæ, resurrectione corporis, & de vita æterna sentiret? cui cum respondisset, illum de his veritatibus planè persuasum esse, quod ex ejus scriptis satis appareret; regessit Cardinalis, æstimarem *Philippum* virum sapientem, si hæc non credidisset. *Mullerus* refert in *Atheismo devicto pag.* 223. Immò eo impietatis, & dementiæ ventum esse, ut passim immortalitas animæ negaretur. Inde in Concilio Lateranensi, ut serpenti malo occurreretur, decretum fuit, animam esse immortalem; nihil ominus tamen *Johannem* XXIII. legimus, in Concilio Constantiensi, coram Viris Celebertimis planè negasse animæ immortalitatem, atque dixisse, post hujus vitæ curriculum, nihil esse aut sperandum aut metuendum. Neque huic impietate Secundus *Clemens* VII. Romanus Pontifex, qui moribundus pronunciasse dicitur, se illicò trium rerum fore certiorem, de quibus per omnem vitam dubitasset vehementer, videlicet, an esset Deus? an anima esset immortalis? An denique esset altera vita? *Wolfius, Tom.* 2. *Lection. memorab.*

§. IV. Et horum Certe in numerum, qui liberalibus doctrinis nimium vacantes errores ferè maximos inbibere magno sæpe desiderio; mox adhuc ante tempora Reformationis videtur jure referendus esse *Hermolaus* ille *Barbarus*, nobili in Venetorum ditione genere natus, tanti ingenii Vir, qui in Græcorum ac Latinorum literis doctissimus, ut tenebrosa illa *Plinii*

nii & *Ariſtotelis* opera illuſtrata à tenebris educeret, dæmonem ſciendi curioſitate maxima de ἰνδελέχεια, forte *Ariſtotelis*, interrogavit: qui reſpondiſſe etiam vocula ſubſibilanti pœne ſibi ipſi & *Placentino* barbare *perfecti habea* refertur. *Jov. in Elog. Doct. Vir. p.* 53. *Petr. Crin. de hon. diſcipl. c.* 6 *c.* 11. *Bal. Dict. Hiſt. crit. T. I.*

§. V. Ad non obſcuram hujus æmulationem Florentinus ille Platonicæ Philoſophiæ aſſertor, *Marſilius Ficinus*, verſabatur: Is cùm videret optimos græcorum Trepezuntium & Archyropilum in diſtributis inter ſe Ariſtotelicis operibus vehementer occupatos, nobiliſſimos etiam ſectæ Platonicæ autores in latinum idioma traduxit, adeò inſatiabilis tenorem ſtudii ſecutus, ut fuerit in abſurdiſſimam, cum *Simphoriano Champerio*, opinionem deductus, *Chriſti Soſandri* noſtri paſſionis imaginem in vita & Carcere fuiſſe *Socratem*. Adeò impenſe huic placebat Gentilis Philoſophus, cujus etiam dogmata ſatis avidè ad certum temporis ſpatium ſuſcipiebat. Notum eſt *Socratem*, ſub vitæ finem, ſcepticum egiſſe de animæ immortalitate. In hac etiam parte Noſter imitator ſtrenuus fuit. Nam cum *Mercato* quem amavit ardentiſſimè, inſigni Italorum Philoſopho, de hac materia ſermones intra privatos parietes frequentes habuit, & convenere inter ſe mutuò, ut qui primus fungeretur vita, de ſtatu animæ poſt mortem ſuperſtitem alterum in certiorem redderet: Idem revera contigit. *Ficinus* enim primus excedens vivis aparuiſſe dicitur *Mercato*, & hiſce verbis eum compellaſſe, *O Michael, Michael immortalis eſt anima. Jov. Elog. Doct. Vir. p.* 101. *Thomaſ. in præf. ad Charpent. vit. Socr. Bonif. Hiſt. Judicr.*

§. VI.

§. VI. Verum pietatis omnes limites expatiatus est, sub idem tempus notissimus ille horrenda impietate *Angelus Bassus* à patriâ *Politianus* dictus, Florentinus Canonicus, qui ut illum *Jovius* commendat, *Vir erat distortis moribus*, qui multò libentius Græcos *Averrois* codices, & *Aristotelis* dogmata sæpissime tractabat, quàm divina oracula; in quæ voces profanas effutire frequentes solebat, eo contentus, ut antiquitatis vindex summus nominaretur. Interrogatus enim aliquando an legeret Scripturam Sacram? nauseabundus respondit, *Semel legi librum illum, & nunquam collocavi pejus ullum tempus.* Quæ quidem verba alio in sensu nonnulli explicant. Tradunt enim eum lectioni Vulgatæ Versionis Sacri Codicis incubuisse, cum verò consignatam eam fuisse stylo simplici deprehendisset, è manibus indignabundum rejecisse, cum dictione elegantiori longè sua omnia soleret exprimere. Sed nescio, an isthæc excusatio firmo stare talo possit, cum idem propè de Psalmis Davidicis senserit, *Narrabat enim placere quidem sibi illa antiqua carmina, & continere ea honesta præcepta, res tamen longe dulcius splendidiusque tradi in Pindaricis odis. Pingi Ixionem in rota clamantem, multas imagines, multas acerrimas historias, & gravissima præcepta memorari.* Rectè itaque videamus, inquit *Ludovicus Vives*, (vir extra omnem animi irreligiosi suspicionem, uti de eo egregie Cl. *Espencæus* judicat,) quid idem in pretio haberet. Disputavit quamdiu vixit, dicendum ne esset, *Carthaginiensis* an *Carthaginensis*, *primus* an *preimus*; & siquid otii ab hujusmodi nugis superfuit, Epigramma aliquod græcè composuit, in libidinis ac præposteræ veneris laudem. Hanc autem impiissimi hominis nequitiam divina ira pœnis gravissimis compensavit. Nam adolescentis cujusdam in fano amo-

re

re percitus in lethalem morbum incidebat, in quo mox delirantem eum, vox ipſa tandem & Vitalis Spiritus deſeruerunt. *Jov. Elog. Var. p. 89. D. Peucer. Epiſt. ad Cratonem. Bal. Dict. Hiſt. Crit. T.* III.

§. VII. Accenſeo his Mantuanum illum Celeberrimum Philoſophum *Petrum Pomponatium*, qui quidem à plurimis Epicureiſmi accuſatus: ſed tamen jure meritoque ab iſto crimine videtur aliquo modo excuſandus eſſe, cùm nimium adhærens Philoſophorum Veterum dogmatibus, contra animæ immortalitatem ad mentem *Ariſtotelis*, in Academiis Italiæ, publicè pro roſtris Philoſophicis docuerit. Fatendum tamen etiam quod iſthoc placito errores ſæpe plurimi exorti ſint, quâ ratione commoti ſub idem ferè tempus Veneti fuere, Vulcano tradere profana dogmata, quibus ad diſſolvendam Chriſtianæ vitæ diſciplinam, credebant nihil peſtilentius induci poſſe. Quippe naturæ nimium attribuebat, ad cujus effectus CHRISTI etiam & Apoſtolorum miracula reducere primò volebat. Sed tamen manifeſtè teſtabatur, quod non ſufficere poſſent rationes ex natura rei prolatæ, ſed verbo Dei fidem eſſe potius habendam; quapropter ad extremum etiam Eccleſiæ correctioni ſe humiliter ſubjiciebat. *Bal. Dict. Hiſt. Crit. T.* III. *Biblioth. Antiq. Menſ. Jun.* 1705.

§. VIII. Concilii Lateranenſis decreto, occaſionem dedit Doctrina *Pomponatii*, qui *Bononiæ* docuit publicè, mortalem eſſe animam, teſtante *Spondano Annal. Eccleſ. Occaſionem, inquit, prædictæ de Philoſophis Sanctioni dediſſe dicitur* Petrus Pomponatius *Mantuanus*, Jovii *in Philoſophia Præceptor: qui enarrans* Ariſtotelem & Averroem *Bononiæ, animas poſt corporis mor-*

tem, vel dissolutionem interituras, ex sententia Aristotelis probare conatus, Juventutem valde corruperat; se eo defendens, quòd Philosophicè loqueretur, sed aliter, cùm Christianus esset, sentiret. Sed lubet ipsa verba *Pomponatii à Bæylio* allegata hic apponere, quæ planè ab omni impietate nomen ejus liberare videntur apud candidos interpretes; *His itaque sic se habentibus,* inquit, *mihi (Salva saniori sententia) dicendum in hac materia videtur,* quod quæstio *de Immortalitate animæ, est neutrum problema, sicut etiam de mundi æternitate; mihi namque videtur, quod nullæ rationes naturales adduci possunt cogentes statuere, animam esse Immortalem; quapropter dicimus, sicut* Plato lib. 1. de legib. *Certificare de aliquo, cum multi ambigunt, Solius DEI, Cum itaque tam illustres Viri inter se ambigunt, non nisi per DEUM hoc certificari posse existimo——Quapropter dico, quod ante donum vel adventum gratiæ, multifariam per Prophetas, & bona Spiritualia hanc quæstionem terminavit, ut manifestè per Vetus Testamentum est videre: Novissimè autem per Filium, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & secula, eam quæstionem dilucidavit, sicut scribit Apostolus ad Hebræos——Quantò lux distat à lucido, & veritas à vero, & quantò causa infinita potior effectu finito, tantò efficacius hoc demonstrat immortalitatem animæ, quare si quæ rationes probare videntur mortalitatem animæ, sunt falsæ & apparentes, cùm prima lux, & prima veritas ostendant oppositum; si quæ vero videntur probare ejus immortalitatem, veræ quidem sunt & lucidæ, sed non lux & veritas; quare hac sola via* (revelationis) *inconcussa & stabilis est, cætera verò sunt fluctuantes——Quare indubiè, ipsam immortalem esse, asserendum: Verùm ea via non incedendum est, qua hujus seculi sapientes incesserunt, qui cum sapientes se dixerunt, stulti facti sunt, quicunque enim hac via incedet, ut existimo, semper ut incertus & vagus flu-*

fluctuabit. Si bona fide hæc protulit, atque ex ex animi ſententia, non temerè impietatis ſtigmate eſt notandus, cum nihil aliud adſtruere videatur, quam hoc, quod ſine Revelatione Divina, animæ immortalitas dilucidè demonſtrari non poſſit; quod non adeò abhorrere à vero videtur, cùm hoc veriſſimum ſit, nullum ens abſolutè eſſe immortale, niſi unum DEUM; omnes alios Spiritus, atque ſubſtantias incorporeas Soli DEO immortalitatem ſuam acceptam referre debere, qui vult ut per omnium Seculorum ætates exiſtant, quippe quæ ſuâ naturâ aptæ natæ ad iſtam immortalitatem, cum nulla cauſa externa præter unum DEUM illas poſſit deſtruere, aut in nihilum redigere: DEUS verò voluntatem de illorum perpetuitate paſſim in Sacris paginis patefecit. A cucullatis Monachis ſui temporis vehementer fuit exagitatus, & paſſim pro Atheo habitus, quùm ille ficta Monachorum miracula exſibilaret planè, atque explooderet, in libro ſuo de incantationibus, ut videre eſt apud *Joh. Wierum*, de *præſtigiis Dæmonum, lib.* 5. *cap.* 17. *Pomponatius*, inquit, *dicere non veretur, in Sanatione acquiſita, ex veneratione oſſium, Divis adſcriptorum, ſi eſſent oſſa canis, & tanta & talis de iis haberetur imaginatio, non minus ſubſequeretur Sanitas.*

Hujus libri unus eſt Scopus probare omnia miracula vulgò pro Dæmonum præſtigiis habita, meras eſſe effectus naturales, quod nimium planè videtur urgere, id nihilominus facit, ſalva miraculorum Evangelii veritate, quod patet, *Ex.* p. 81. *lib. Pomponatii de Incantationibus*, verba Ejus ſic ſonant, ad ſeptimam opponentium objectionem reſpondentia. Ad ſeptimam dicitur eſſe negandum quod ibi illatum eſt, videlicet, legem CHRISTI & *Moſis* ruere datis modis illis: quoniam quanquam aliqua quæ referuntur eſſe facta tam in hiſtoria legis *Moſis*,

quàm legis CHRISTI, ſuperficialiter reduci poſſunt in cauſam naturalem; tamen multa ſunt quæ minimè in talem cauſam reduci poſſunt: veluti eſt de reſurrectione *Lazari* quatriduani & jam fœtentis: de cæco à nativitate, illuminato: de ſaturatione tot mille hominum ex quinque panibus & duobus piſcibus: de claudo à nativitate reſtituto per *Petrum* & *Johannem*: de ſcaturitione fontis ex ſolo verbo: & ſic de infinitis aliis, quorum nullum poteſt reduci in cauſam naturalem, neque immediatè fuiſſe factum per aliquam rem creatam: diciturque ulterius ex ſententia divi *Thomæ*, in articulo V. quæſtionis de miraculis: nihil inconvenire duos effectus eſſe ejuſdem ſpeciei, quorum unus eſt factus ex miraculo, alter verò eſt factus per cauſas naturales. Nam, ut ipſe refert, ſecundum *Auguſtinum* ſuper Geneſi, ſerpentes facti à Magis *Pharaonis*, facti fuerunt per cauſas naturales, ex procuratione dæmonum: facti autem à *Moyſe*, fuerunt facti, oratione *Moſis* intercedente, ex divina virtute, quanquam ſerpentes omnes illi eſſent ſimiles.

Simon Portius, Eruditiſſimus Vir, longe ſuperior erat Præceptore ſuo *Pomponatio*, quòd ad peripateticæ ſcientiæ cognitionem, linguæ græcæ & latinarum literarum ornamenta dederit: Sed longè etiam nequiora dogmata publicæ luci exponebat. In ſuis enim diſſertationibus *de anima & mente humana*, animas cum corpore verè interituras magno eccleſiæ ſcandalo credebat. Quapropter opus iſthoc impium, & porco non homine autore dignum, in Bibliotheca judicat *Geſnerus*. *Thuanus Libr.* 13. p. 276.

Ut autem obſcuriores nonnullos Heroum filios præteream, cùm nihil lucubratione dignum attulerint, non modò quod Philoſophiam mechanicam & veterum politiorem, ſe ne quidem barbaram iſtam Scholaſti-

laſticorum intellexiſſe videantur. Teterrimi hujus fœtoris omnium graviſſimè olere videtur *Andreas Caſalpinus Aretinus*, qui ut olim *Ariſtoteles* (quem quid velit, recentiorum hic primus & pene poſtremus, cepiſſe viſus eſt) cauſam omnium productricem attulit, ita tamen ut eidem omne Providentiæ imperium detraxerit, quo ſublato, DEUM eſſe dicat, an omninò tollat nihil intereſſe demonſtravimus. Primum itaque Motorem, *Intelligentiam Speculativam non Activam* eſſe, ſtatuit; deinde intellectum ſpeculativum eum eſſe voluit, qui nihil cujuſvis finis gratiâ operatur, ſed ſolâ contemplatione totus occupatur; activum autem, qui ad finem reſpicit, atque eundem ut aſſequatur, artem & conſilium adhibet; Deum itaque, cum nihil aliud per omnem æternitatem niſi ſui ipſius perfectionem contempletur, nihil efficere aut voluiſſe aut cogitaſſe, quanquam ipſo nihil tale cogitante, omnes naturæ effectus inevitabili quadam neceſſitate inde naſcantur; etenim cum ſit ſummum Numen ſummè beatum, ſummè appetibile quoque eſſe, neceſſe eſt; ſummè autem appetibile cum ſit, non poteſt quin in aliis appetitum gignat, atque adeò reliquis intelligentiis, quæ ſingulis cœlorum orbibus inſiſtunt, motum quendam eorum appetitum ciendo imprimit, quem ſuis orbibus impertiunt, orbes elementis, quorum diverſis motibus & miſturis, omnis generatur natura, atque adeò nihil conſilio, ſed bruta neceſſitate facta fuiſſe omnia.

Hunc eàdem impietatis viâ & ratione non modo ſecutus eſt, ſed ſuperavit *Claudius Berigardus Molinenſis*, qui unà cum impia *Ariſtotelis* diſciplina, obſoletam iſtam quoque veterum Ionicorum (quemmadmodum de iis ipſe cenſuit, ac alii plerique cenſuerunt) revocavit; cum enim diſputationes ſuas di-

aliorum consuetudine perscripsit, sermonem in duas personas *Chirilaum* & *Aristeum* distribuit, quorum alter *Aristotelem*, qui præter materiam, quendam primum motorem, providentiæ tamen expertem posuit; alter antiquos istos defendit, quos omnia corpora esse velle, nullumque primum motorem, ab universo corpore distinxisse putavit. Atque adeò uno eodemque opere diversas cum Epicureæ tum Peripateticæ impietatis rationes adornavit; quamquam *Aristotelis* disciplinam fusius & ardentius exeoluit, atque eam potissimum quam libro Physicorum octavo, librisque de Cœlo & rerum Generatione tradidit, quibus universam mundi fabricam sine Providentiâ architectrice extruxisse se putat Philosophus. Neque nefaria sua dogmata dispersè uno aut altero capite (ut *Sabinus*) insinuavit, sed apertè omnem peripateticæ impietatis rationem secutus est, neque Numinis providentiam ut ille è rerum natura tollere satis habuit, nisi & falsè dictis (qualia vir non admodum facetus, potuit) increparet.

His duobus, sunt qui *Hieronymum Cardanum* annumerandum esse arbitrantur, quod omnia divinæ providentiæ phænomena astris aliisque causis naturalibus ascribi voluerit; atque adeò, inter alia quamplurima, quæ in naturali Philosophiâ se invenisse gloriatur, penè maximum existimat, quod ad generationem animalium perfectorum, non aliud principium requiri, nisi calorem cœlestem; quò fieret, ut hominum genus, omniaque animalia, nulla Numinis providentiâ, sed sola siderum vi gignantur; quæ cum nulla ratione aut consilio prædita sint, si eis mundus administraretur, sequitur nullo omnino Numine administrari. Atqui verò de homine minimè vafro judicium nimis acre ferre videntur; & si quid impium fortasse dixerit (ut quidem nihil

est,

eſt, quòd animi actu raptus, ſibi conſentaneum non dixit) ei veniam dari oportet, ut aliis omnibus damus, quos ſui compotes non eſſe novimus. Magnum enim *Cardani* ingenium, magna dementiæ mixtura contaminavit; unde cum per intervalla in inſaniam incideret, idem illi quod aliis omnibus inſanis contigit, ut qui multa dicunt quæ nec ſentiant nec meminerint. Inſanienti autem proximum vixiſſe quis de iſto homine dubitare poſſit, *qui* (ut optimè narrat *Naudæus*) *ſomniis, oſtentis, auguriiſque vaniſſimis & maximè ridiculis fidem adhiberet; qui totus ex deliratium vetularum obſervationibus penderet; qui quoties vellet, à ſenſibus per extaſim peregrinaretur; qui ſpectra & larvas videret, aliquem & ſibi faventem genium adeſſe vel ſtultè crederet, vel malignè mentiretur; qui uxorem duxit ſine dote; qui filiorum educationem neglexit; qui juniorem ex illis, auricula avulſa, puerum vero nomine* Guilelmum, *verberibus, licet immerentem ſæpius multavit; qui ſe jactatum à patre pro ſpurio fuiſſe, & abortivo medicamento priuſquam naſceretur tentatum refert; qui pannoſus aliquando, mox ornatus in publicum prodiret; qui inter amicorum colloquia lubentius nihil diceret, quàm quod illis ingratum fore cogneverat; qui Lunam non ſecus in cœlo de die quam noctu videret; qui Romæ diverſo ab aliis cultu ſpectandus incederet; qui Bononiæ ſuffultum tribus tantum rotis currum aliquoties uſurparet; qui juvenis rixas miſcebat, adultus meretrices ſectabatur, vir factus à ludis & alea non temperabat, ſenex quoque carcerem vitare non potuit; qui denique probra vitæ ſuæ turpitudineſque vel minimas è privata domus ſecreto, ubi non ſecus ac aliorum hominum ſordes & flagitia deliteſcere rectius potuiſſent, non evulgavit modo, ſed nauſeandi fermè, per tot ineptias & narrationes inconditas lectori obtruſit: Nam ſi facere iſthæc ſapien-*

vis est, nescio sane cur Orestes, Corœbus, Amphistites *non ipsi quoque sapientes inter numerari possint.*

Atque sane, si quis quæ de se ipse scripsit, legerit, his omnibus longè dementiorem esse deprehendet. Quis enim nisi prorsus insanierit ea de se narraret; quæ si de inimico dixeris, honos præfandus est? Quis tam grandia, & secum pugnantia de se mendacia fingeret? Quis tam vana de Spectris, Lemuribus, Geniis, Portentis, Auguriis, Insomniis, aliisque ejusmodi anicularum ineptiis crederet, iisque maxima vitæ momenta gubernaret? neque quidem insaniisse miremur, cùm universis exagitaretur furiis, quarum singulæ quemvis sanioris mentis, in extremam dementiam impulisse poterant. Earum autem præcipuæ quatuor fuere; primùm Anomala (ut ipse vocat) naturæ indoles; tum immensa cogitandi assiduitas; deinde immoderata gloriæ cupido; postremò maxima totius vitæ calamitas; quæ omnia, si cuivis hominum, *Cardano* certè singulari modo contigere.

§. IX. Pergamus; à multis Atheismi accusatus fuit *Petrus Aretinus*, propter ingenium ingens, *divinus* dictus, & propter scripta Satyrica *flagellum principum*, neque minus fuit infestus Ecclesiasticis, ut ex Epistola *Johannis Paludani* ad *Dionysium Lambinum*, data, patet: *Penè me fugerat, quod scribendum inprimis fuisse arbitror, à Cardinale* Peronio *editam esse audio orationem adversus* Petrum Aretinum; *periculum est ne, ut jampridem principum, ita posthac & monachorum flagellum esse & nominari velit.* Post mortem hoc Epitaphium meritus est;

Condit Aretini *cineres lapis iste sepultos,*
Mortales atro qui sale perfricuit.

Item

Intactus Deus eſt illi, cauſamque rogatus,
Hanc dedit, ille inquit non mihi notus erat.

Item

Hic jacit ille canis, qui peſſimus ivit in omnes.
Dempto uno, quem non noverat ille, Deo.

Item

Primorum Maſtyx molli hac requieſco ſub urna,
Viventi cui mens irrequieta fuit.
Nulli ego mortali, ſuperis ſi forte peperci,
Ignoti ſuperi forte fuere mihi.

Item

Amarus jacet hic, viator, hoſtis
Vivorum, ſimul atque mortuorum;
Diis convitia milla dixit, & ſe
Excuſans, ſibi cognitos negavit.

Atque apud *Laurentium Graſſum*, in *Petri Aretini* vita, Italicè ſic habentur eadem Carmina,

Qui giace l' Aretino Poeta Toſco,
Che d' ognun diſſe mal; che di Dio,
Scuſandoſi col dir, io non lo conoſco.

Plures aſſerunt hæc carmina Sepulcro ejus eſſe inſcripta Venetiis; ſed alii abſurdiſſimum hoc eſſe opinantur, cum Athei neque Eccleſiis ſepeliri neque Epitaphiis honorari ſoleant. *Spizelius, in Scrutin. Atheiſmi*, p. 18. Ita de eo: *Aretinus horrendi iſtius libri de tribus impoſtoribus Author:* etſi eo nomine *Campanella*, in *Atheiſmo Triumphato*, ſuſpectum habeat

Pog-

Poggium Florentinum; & *Thomas Browne*, in *Relig. Med. Sect.* 19. nefarii illius libri Authorem dicat *Bernardinum Ochinum*. Quomodocunque res se habeat, sunt qui affirmant, *Aretini* opera Atheismum neutiquam sapere, imò in Volumine secundo Epistolarum *Henrico* Octavo Regi Angliæ dicato, hæc verba invenio: *Siche merito scusa delle ciancie da me composte per ridere & non per malitia*; Ita ut si aliquando æquò liberius atque nimis jocosè, de rebus Sacris luserit, cupiat hoc sibi condonari, cum non animo malo talia unquam protulerit.

§. X. Quod attinet librum *de tribus impostoribus*, nonnullis videtur is esse mera chimera, de quâ multi multa loquantur, sed nemini unquam visa. Fateor, *Mullerus*, in *Atheismo devicto*, affirmat, se nosse virum sibi familiarem, qui possideat istum librum, sed se vidisse non scribit; imò hodiernus Hamburgensis Theologus *Frid. Mayerus*, excerpta ex eodem libro in apricum promisit propediem se editurum; gratum proculdubio multis facturus, si promissis steterit. Sed cur *Ochinus* habendus sit Atheus, non video, cum ejus scripta profectò elegantissima, passim pietatem atque observantiam erga DEUM maximopere spirent. Liber *de libero arbitrio*, quem propter intricatas materiæ difficultates vocat Labyrinthum, Reginæ Angliæ *Elizabethæ* inscriptus, haudquaquam impietatem sapit. Multò minus *Catechismus*, in quo eleganter statim ab initio, DEI Existentiam demonstrat, modò *Cartesiano* non planè dissimili. Audiamus ipsum: *Prego*, inquit, *Illuminato mio, che tu mi dica, S' egli ti par essere o no?* Illuminato. *Mi par essere*, ma per questo, non *son certo, che io sia; imperoche in parermi esser, forse m'inganno.* Ministro. *E' impossibile, che a chi non e*, gli paia d'essere, *percio poi ch' ei ti par'*

par' eſſere, biſogna dire che tu ſia. Id eſt; Mi diſcipule illuminate, rogo te, bona fide, ut mihi dicas, an exiſtimes, te exiſtere, nec ne? *Illuminat.* Ita ſane, opinor me exiſtere, ſed tamen forte decipior. *Miniſter.* Eſt impoſſibile, ut tibi exiſtere videaris, ſi revera non exiſteres, nam dum tibi exiſtere videris, neceſſe eſt dicere, te exiſtere. Hiſce poſitis, probat eleganter, ſummum Numen infinitè perfectum neceſſariò exiſtere. Unde certe miror, cur literatorum Hallenſium unus neget *Ochinum* ſcripſiſſe Catechiſmum illum, nulli alii rationi innixus, niſi quod ille nullam editionem viderit, præter eam, quæ diu poſt mortem Authoris prodiit, ac ſi nulla alia antiquior Editio unquam exſtitiſſet; mutaturus certe ſententiam, ſi hujus Catechiſmi Editionem Baſilienſem, Anno M. D. LXI. vidiſſet, cujus mihi copiam Cl. *Paravicinius*, Gymn. Baſ. Conrect. Cæterum hunc *Ordinem* ac ſententiam *Socini* Senenſis ſui concivis inclinaſſe, ego non auſim negare; Sed illum eſſe Atheum, jure negare poſſum, tot Concionum voluminibus linguâ Italica, aliiſque ſcriptis contrarium teſtantibus.

§. XI. Huc etiam accidit memorabilis illa Athei *Itali* hiſtoria apud *Henricum Stephanum, à Spizelio* citatum; ubi refert, nobilem quendam Italum in civili bello Gallico, ſclopeto trajectum ſe Regi commendaſſe, (cum alii moribundi DEO commendare ſolcant.) Eundem ſæpe in vita, familiaribus confeſſum, ſe deſiderare quidem, ut juxta cum aliis in DEUM crederet, ſed non poſſe, inſuper ſe oblectaſſe blaſphemiis contra DEUM, hiſtoriaſque ſacras data occaſione traduxiſſe. Sic *Nannus Groſſus* & *Lucas Oreſus* Florentini, per totam vitam Atheiſmum profeſſi ſunt. Horum alter moriens crucifixi

ſtatuam

ſtatuam ſibi afferri curavit, cui ſe commendaret, ſed nullius alterius quam *Donatelli* manufactam: alter potentiori ſe commendavit, *ſive Deus ille, ſive Damon eſſet*; cum hac horrenda exclamatione, *chi piu puo, piu tiri!* (i. e.) Qui plus poteſt, plus rapiat! Hactenus *Spizelius*, Porrò *in Hiſtoria Univerſali* Jo. Læti *refertur de* Coſmo *Italo, homine literato*: Atheus ex vita migravit, moriturus *nec parochum nec capuchinos ferre voluit; monitus ut extremum reformidaret judicium, affatim riſit; ſtulti, inquit, abite, nulli ſunt Diaboli, niſi hoſtes noſtri, qui nos in hoc mundo vexant; neque alius Deus eſt, præter reges & principes, qui ſoli nos poſſunt juvare & nobis benefacere.*

§. XII. Pauca denique de *Nicolao Machiavello* Florentino, ſui temporis rerum politicarum maximè gnaro, antequam Italiæ valedicam, memoranda ſunt. Quod attinet ejus pietatem erga DEUM, maxima ſunt animorum divortia, etenim laudatur ab his, culpatur ab illis, propter libellum, quem ſcripſit *de principe*. *Baconus*, de *augmentis ſcientiarum. lib. 7. c. 2.* honorificè ſatis de hoc libro ſcribit. *Eſt quod gratias agamus* Machiavello, *inquit, & hujuſmodi ſcriptoribus, qui aperte & indiſſimulanter proferunt, quid homines facere ſoleant, non quid debeant.* Obſervarunt viri docti, hunc librum nulla virga cenſoria fuiſſe notatum, uſque ad tempora *Clementis* Octavi, qui eum damnavit ex inſtigatione Jeſuitæ *Poſſevini*. *Spizelius*, in *Scrutinio Atheiſmi* p. 132. longè pejus de eo judicat, atque refert, quòd tum Florentiæ jam in extremis eſſet, & ſcrupulis agitaretur conſcientiæ, ob metum damnationis jam imminentis, in mentem verò ei recurreret, quòd viri illi magni, orbiſque ſapientes *Ariſtoteles*, *Plato*, *Alexander*, & ſimiles, damnati ſint, & quòd viri ſancti, ut plurimùm fuerint homines miſeri,

miſeri, in mundo deſpecti, variiſque anguſtiis & afflictionibus preſſi, inſana voce dixerit, *Malo in Infernum deſcendere cum magnis illis & illuſtribus viris, quàm cum infimis iſtis, & vilis conditionis hominibus, in cœlo degere.* Neque de illo benignius ſentit *Mullerus*, in *Atheiſmo devicto*, *p.* 677. ubi increpat ejus Apologiſtas, quod fruſtrà ex ejus opere conentur demonſtrare, *Machiavellum* aliter ſenſiſſe, quam ſcripſiſſe; Imò clarè ſenſus animi exprimere videtur *lib* 2. *diſput. de Repub. cap.* 13. " Id mihi ſignificare videtur *Xenophon*, *inquit*, quod neceſſaria ſit ars quædam decipiendi, ſit altum faſtigium aſcendere, & inſignes aliquos progreſſus facere velit: Hac arte *Johannes Galeazzius*, Principatum Mediolanenſem, *Bernardo* avunculo ſuo eripuit; *addens*, fraudem neceſſariam putamus omnibus, quicunque ex parvis creſcere conantur, quæ tantò minus turpis eſt, quantò quis magis illam poterit occultare, & honeſto aliquo prætextu tegere. An pius, vel impius fuerit, DEUS cordis indagator unus novit, hoc tamen certè novimus, in *Machiavelli* animadverſionibus ad *Livium*, caput integrum reperiri *de neceſſitate religionis*, ſine cujus auxilio & interventu nullus principatus aut dominatio diu ſubſiſtere poſſit: demonſtrat etiam, nullum certius declinantis alicujus imperii ſignum eſſe, quam Religionis negligentiam.

Meritò denique memorandus eſt *Giordano Brun*, qui publicis flammis impietatis poſtulatus periit, multis ille ſcriptis inclaruit. Scripſit librum cui titulus *Jordani Bruni Nolani Camæracenſis Acrotiſmus, ſeu rationes articulorum phyſicorum adverſus Peripateticos Pariſiis propoſitorum*, reimpreſſus Wittenberg. 1588. ibidem invenies Epiſtolam ad *Henricum* Tertium Galliæ Regem, & aliam Pariſienſibus, & aliis è Generoſiſſimis

Galliarum

Galliarum regno philosophis sentatioris philosophiæ dogmatum amicis & defensoribus; in eodem libro extat quoque *Excubitor*, seu, *Jo. Hennequini* Apologetica, declamatio habita in auditorio regio Parisiensis Academiæ in Fest. Pentecost. Anno 1586. pro *Nolani* Articulis, quibus adjunguntur Articuli de natura & mundo à *Nolano*, alium edidit, librum cui titulus, *de specierum Scrutinio & Lampade combinatorio Raimundi Lullii*, Pragæ 1588. itidem. *de progressu Logicæ Venationis*; alium *de monade, numero & figura, item de innumerabili, immenso*, Francofurti 1591. in *octav.* item *de imaginum, signorum & idearum compositione, ad omnia inventionum, dispositionum & memoriæ genera*, libri tres Francofurt. 1591. in *octav. de Umbris idearum*, Parisii 1582. *Canus circaus ad memoriæ praxim ordinatus, quàm ipse judiciarium appellat*, Parisiis 1583. *De Compendiosa Architectura & complemento artis Lullii*, Parisiis 1580. *Artificium perorandi*, editum ab Alstedio 1612. dicitur ab adversariis illum affirmasse plures mundos exstitisse ab æterno, atque gentem Judaicum tantummodo ab *Adamo* & *Eva* esse oriundos, nationes vero alias ab alia stirpe, Adamitica multò antiquiore fatos, insuper miracula Moisaica magiæ mera fuisse effecta, insuper libellum scripsit cui titulus *Spacio della bestia trionphante*, in quo primum dum multo sale depexum dat gentilissimum, & Jovem ipsum vitæ postulat infamis, tum postea totis nititnr viribus ostendere Evangelia Christi poetarum fabulis multo esse absurdiora, idque in Campo floræ in Roma combustus Feb. 9. 1600. creditur *Cartesium à Bruno* sua principia ut plurimùm hausisse, " Extitit inter novitios Philosophos " *Jordanus* quidam *Brunus Nolanus*, quem Cartesia- " næ doctrinæ antesignarum jure dicas: adeo accu- " ratè omnem propemodum ejus compositionem

" præ-

" præſignavit in eo libro de immenſo & innumera-
" bilibus inſcripſit." Cenſum Philoſoph. Carteſian. *cap.* 8. *p.* 215. edit Pariſ. 1689. apud *Baylium* Ex libello cui titulus *Giordano Bruno Nolano de la cauſa, Principio, & uno*, Stampato in Venetia, Anno 1584. hæc pauca excerpſiſſe placuit. " E ſi ha per
" modo di concluſione, che è coſa indegna di ratio-
" nall poſſer credere che l'unoverſo & altri ſuo cor-
" pi principali ſieno inanimati; Eſſendo che da le
" parti & eſcrementi di quelli derivano gli animali
" che noi chiamiamo perfettiſſimi." Quæ ſane verba videntur innuere omnibus perfectionibus vitâ puta & intellectu materiam ſuâ naturâ eſſe inſtructam, quod erit manifeſtum ex ſequentibus; " gli
" Ariſtotelici, Platonici & altri ſophiſti non han
" conoſciuta la ſuſtanza de le coſe, & ſi moſtra chi-
" aro che nelle coſe naturali, quanto chiamano
" ſuſtanza oltre la materia, tutte è puriſſimo acci-
" dente." Quæ verba omnem notionem *mentis* vel *Spiritus* è medio tollit, quam theſin pro fundamento ſuæ philoſophia poſtea poſuit *Spinoſa*. Porrò laudat hæc ſua principia, utpote ad vitæ felicitatem utramque paginam facientia, quia metum inferni atque mortis prorſus diſſipat. " Et che da la cognitione
" de la vera forma s' inferiſce la vera notitia di quel
" cheſia vita, & di quel che ſia morte: & ſpento à
" fatto il terror vano & puerile di queſta; Si cog-
" noſce una parte de la felicita che apporta la noſtra
" contemplatione ſecundo i' fondamenti de la noſtra
" philoſophia: atteſo che lei togle il foſce velo del
" pazzo ſentimento, circa l'orco, & avaro Caronte
" onde il piu dolce de la noſtra vita ne ſe rape, &
" avelena, & p. 25. ſequentia carmina poſuit:

O genus attonitum gelida formidine mortis,
Quid Styga, quid tenebras, & nomina vana timetis,
Materiam vatum, falsique periculamundi?
Corpora sive rogus flamma, seu tabe vetustas
Abstulerit, mala posse pati non ulla putetis:
Morte caret anima, domibus habitantque recepta,
Omnia mutantur nihil interit.

neque per animam aliud videtur intelligere nisi animæ mundi particulam, " Non volete, *inquit*, chesia " altra forma che questa æterna compagna di la ma- " teria. Hor quanto alla causa, effetrice, dico l' " efficiente physico universale, che é la prima & " principal facultà del anima del mondo;" & postquam affirmasset animam mundi causam esse efficientem omnium rerum, explicat his verbis quid ille per animam mundi intelligit, & per intellectum universalem, " L'intelletto universale é l'intima piu reale, " & propria facultà é parte potentiale de l'anima " del modo, questo é uno & medesimo che empie " il tutto, illumina l'universo & indrizza la natura " à produrre le sue specie come si conviene, & cossi " ha rispetto alla produttione di cose naturali come " il nostro intelletto, alla congrua di specie rati- " onali." Si plura desideraveris de hoc *Bruno vid. Epist. Caspar. Sciopii à Doctiss. viro Domino la Croze Edit. in Dissert Gallic. de Atheism.*

CAPUT

CAPUT VIII.

§. I. QUam ferax porrò monſtrorum iſtorum ſit *Gallia*, (inquit *Spizelius*) non ipſa ſolum teſtatur experientia, verùm cumprimis etiam libri, tractatuſque varii contra Atheos vernacula ibidem editi, imò una *Lutetia*, Anno 1623. jam 50000. continebat Atheos, ut *Merſennus* ait, Comment. in Geneſim, cujus etiam hæc ſunt verba; *Ne quis ſuſpicetur, me injuria conqueri, vel enim paucos, vel nullos eſſe, qui Deum negent; ſciat velim, non ſolum in Gallia, ſed etiam in aliis regnis, tantam eſſe nefandorum Atheorum multitudinem, ut jure mirari poſſimus, quomodo Deus eos vivere ſinat, quippe qui bonitatem infinitam in eis ad reſipiſcentiam expectandis effundit.* Conqueritur ſimiliter in præf. Tract. cui titulus *Queſtions rares*, &c. ad Cardinal. *Richelieu*, " Quod ante aliquot annos impietas ſub nomine Atheiſmi vomuerit blaſphemias " contra DEUM, quæ etiam flammis in terris ſit " expiata; ſed quod renata ſit in Corde Galliæ, " ex cineribus infelicis illius (*Vaninum notat*) alia " ſecta, quæ ſub nomine magis ſpecioſo expoſuerit venenum, magis contagioſum, quam prius. " Complices hujus ſectæ fabricaſſe ſibi nomen *Deiſtarum*, ad animas ſimpliciores & credulas decipiendas.

§. II. Mittam in præſentia *Rabeleſium* alioſque Gallos à multis Atheiſmi poſtulatos, & mentem appellam ad hiſtoriam cumprimis infamis illius *Julii Cæſaris Vanini*, qui aliquandiu virus ſuum ita texit,

ut nova quadam Methodo Atheorum præ ſe tulerit convictionem, magno ſiquidem in ſpecie molimine, libroque peculiari, quem *Amphitheatrum* vocavit *æternæ providentiæ divino-magicum*. Providentiam divinam adverſus Philoſophos veteres, Epicureos cumprimis, & Peripateticos, & Stoicos defendere inſtituit, revera tamen ubique turpiter deſtituit, atque proſtituit, id agens ſolicitè, ut incautiores in Scepticiſmum, imò in ipſum Atheiſmum ſponte ſua protrahantur. In hac ſcelerata opinione perſtitit ad rogum uſque, & vitæ ſuæ extremum terminum quàm pertinaciſſime. Cumque more ſolito imponeretur ei, ut à Deo, à Rege & Juſtitia, veniam poſtularet, negavit id ſe facturum; " Non à Deo, " quando quidem eum eſſe, nec ipſe crederet; " non à Rege, quòd nihil in eum peccaſſet; non " à Juſtitia, ſive à Judicibus, quòd nec in eos de- " liquiſſet; ſi Diaboli eſſent in inferno, ut quidem " hoc credi & dici ſoleat, ſe devoturum Judices, " ut ab illis auferantur." Alii perhibent, illum dixiſſe, *ſe potius precaturum, ut vindicaret, ſed quia certum non eſſet, Deum & Diabolos eſſe, ideò nec veniam à Deo & judicibus petiturum, nec vindictam imploraturum*. Memorabilis etiam extat relatio de hujus *Vanini* ſupplicio apud *Grammondum*; " *Lucilius Vaninus*, " inquit, apud pleroſque pro hæreſiarcha habitus, " qui Deum negat. Medicinæ Profeſſor erat nomi- " ne, ſed re, ſeductor incautæ juventutis, Deum " ignorabat, ſorte omnia fieri exiſtimabat, Natu- " ram pro matre optima, & omnium nutrice ado- " rabat; ut dici poſſit ex multis error unus, quem " pervicaciter profitebatur Tholoſæ, loco ſancto. " Et ut novis allicimur, præcipuè dum caleſcit pri- " mæ adoleſcentiæ ſanguis, ſtatim errorum ſequaces " habuit non paucos, ex iis quos ſchola recens di-

" miſe-

" miſerat. Gente *Italus*, literarum rudimentis Ro-
" mæ imbutus, Philoſophiæ & Theologiæ incubue-
" rat, magnâ ſpe; cum ad impia prolapſus, ſacrum
" ſacerdotii characterem polluit libro infami, quem
" ſcripſit in hunc titulum, *de Arcanis Naturæ*, quo
" non erubuit profiteri, Naturam rerum omnium
" Deam. Ob crimen, cujus in Italia reus agebatur,
" in Galliam profugus, Tholoſam venit. Delituit
" *Vaninus* per tempus, donec illum libido in glori-
" am adegit, ut fidei Catholicæ arcana vulgaret, in
" problemata primum; dein in irriſum. Statim alta
" admiratione capti adoleſcentes, quibus inter nova
" placent maximè, quæ probantur paucis, &c. *Luci-*
" *lius* ferocitate contumax, dum in patibulum tra-
" hitur, monachi ſolatium aſpernatus, objectam
" crucem averſatur, Chriſtoque illudit in hæc ea-
" dem verba; *illi in extremis præ timore imbecillis ſu-*
" *dor, ego imperterritus*, inquit, *morior*. Falsò ſanè
" imperterritum ſe dixit Sceleſtus homo, quem vi-
" dimus dejectum animo, philoſophia uti peſſimè,
" cujus ſe mentiebatur Profeſſorem. Erat illi in ex-
" tremis aſpectus ferox & horridus, inquieta mens,
" anxium quodcunque loquebatur; & quamquam
" philoſophicè mori ſe clamabat, identidem finiviſſe
" vitam ut brutum, nemo negaverit. Antequam
" rogo ſubderetur ignis, juſſus ſacrilegam linguam
" cultro ſubmittere, negat, neque exerit, niſi for-
" cipum vi adprenſam, carnifex ferro abſcidiſſet.
" Reliqua abſumpſit ignis, in aërem ſparſi cineres."
Hactenus *Grammondus*. Inſuper dum eſſet in extre-
mis, publice faſſus eſt, Neapoli tredecim emiſſos,
qui venenum hoc per omnem Europam ſpargerent,
ſibi autem deſignatione certa Lutetiam contigiſſe, ubi
ſtrenue execrabili iſto functus ſit munere, per ali-
quod tempus, donec ejus liber publicis flammis com-

burerctur, eapropter quantocyus clam ſe ſurripuit, & Tholoſam venit: & mox filiis *Cremailenſis* Comitis factus Præceptor; ſed non ita multò poſt detectus & in carcerem conjectus, & Decreto Parliamenti, ad vivicomburium, ut ſupra, damnatus. Vid. *Tom. 5. de l'Mercure Francois, p.* 46. Variis Scriptis inclaruit *Vaninus*, imprimis libro, cui titulus, " Amphitheatrum Æternæ Providentiæ Divino-Magicum, Chriſtiano-phyſicum, necnon Aſtrologico-Catholicum; adverſus veteres Philoſophos, Atheos, Epicureos, Peripateticos, & Stoicos, Lugduni impreſſo, apud Viduam Antonii de Harſy, ad inſigne Scuti Colonienſis, 1615. cum Privilegio Regis, porrò honeſtiſſimis Approbationibus atque Carminibus ornato; Ex quibus non poſſum, quin verbum unicum, exempli gratia, conſulto interponam, (ut intelligat Lector, ſubinde in Eccleſia Romana, Atheorum operibus parcere calamum punctorium, & *Veniam dare corvis, dum vexat cenſura columbas:*) Illa autem Approbatio ſic habet " R. D. D. Franciſcus du Soleil, Officialis ordinarius, & Metropolitanus, nec non Vicarius Generalis Subſtitutus Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi Lugdunenſis, Galliarum Primatis; liber, qui inſcribitur Amphitheatrum Providentiæ Æternæ Divino-Magicum, Authore Julio Cæſare Vanino, Philoſopho, Theologo & Juris utriuſque Doctore, ut in lucem edatur facultatem concedo, Lugduni die 6. *Junii* 1615." *Huic Approbationi altera ſubſtituitur, quæ ita habet*: " Has Exercitationes partim Theologicas, Ego Jacobus Davaeyne, Regis Procurator, typis mandari, tum demum in lucem edi conſentio. Alias approbationes, ne cui multus videar, & æquo longior, prudenter tranſeo.

§. III.

§. III. Sed fortaſſis ſcire percupis; unde hic liber tantis ornamentis atque laudibus condecorandus fuerit à viris eruditis, quorum eſt officium, libros cognoſcere? rationem unam atque alteram tecum communicabo; Earum prima hæc eſt, *Vaninus* ubique ficta religionis ſpecie, atque pietate erga Pontificem & Jeſuitas non vulgari, ſcripſit Defenſionem Concilii Tridentini, *Lutherum*, *Calvinum*, *Chemnitium* ſugillavit, ut ille ipſe memorat. " Ego Catho-
" licæ matris Eccleſiæ filius in Apologia pro Tri-
" dentino Concilio, in Decreto de Sanctorum invo-
" catione ſcripſi adverſus Lutherum, exiſtimantem
" B. Franciſcum ex vehementi erga Chriſtum amo-
" re, propriis manibus ſeipſum ferro ſtigmatizaſſe,
" quod à vero alienum eſt, quandoquidem ſic mor-
" tem ſibi conſciviſſet, vel vitam ſaltem manifeſto
" periculo, ob inanem finem expoſuiſſet, quod de
" ſeraphico viro præſumendum non eſt, pag. 70. *Quantum attinet ad Societatem Jeſu*, " Pietatis & eru-
" ditionis altricem, Romanæ Eccleſiæ, & ſplendori
" fuiſſe, & ornamento, ipſamque Dei immortalis
" munere, tanquam Romanæ Eccleſiæ Palladium,
" cæterarum Religionum columen, totius Univerſi-
" tatis anchoram hominibus eſſe conceſſam exiſti-
" mat. *Epiſt. ad Lectorem.* Unde dubio procul benignius de hujuſmodi Viri ſcriptis proclivè erat, ut ejus temporis cenſores judicarent. Inſuper in hoc libro multa extant argumenta elegantiſſima contra veterum Philoſophorum errores, ut facilè rapiat incautorum animos in admirationem ſui, ſed eadem opera detegit ſuam malitiam, dum omni niſu aliorum argumenta explodere conatur, loco quorum argumenta ſua cabaliſtica atque perplexa ſubſtituit. Unum, exempli gratia, proferam *Averrois*, proba-

bat is è motu, neceſſariò DEUM exiſtere; *Perabſurdè*, inquit *Vaninus*, *non enim primi mobilis motor DEUS*: " Entium verò partitionem à me fortaſſis " Lector exiget ſubtiliorem; accipiat, non ſcho- " laſticam, ſed divino-magicam, ſed cabaliſtam: " neque ex Pythagoreis deſumptam numeris, illuſtri- " us namque meditamur opus: illi cum ſeptenari- " um numerum miris extollerent laudibus, non a- " nimadverterunt, præter alias nobilitates, illud " quoque à natura obtinuiſſe, ut limes eſſet ac ter- " minus numerorum inferiorum; ſicut Novenari- " us omnium ſummus, ac perfectiſſimus, cæteros " omnes arcet ac continet; neque ab ullo, niſi ab " unitate augeri poteſt, ut denarius fiat, qui eſt " omnium ultimus. Unitatis igitur omnipotenti- " am quandam celebramus, tum quia eſt finis, clau- " dit namque Novenarium, in quo ſunt omnes ſpe- " cies, ac proportiones quantitatis, tam primariæ " quàm conſequentes, ſeu reſultantes; Longitudo, " latitudo, profunditas, perfectum, imperfectum, " diviſibile, indiviſibile, trigonum, cubum, oblon- " gum, varielaterum, æqualitas, inæqualitas, abſo- " lutum, comparatum, ſimplex, multiplex, ſimile, " diverſum. In ſpecie verò duplicitas, ſeſquilate- " rum, triplicitas, ſeſquitertium, quadruplicitas, " ſuperpatiens. Eſt autem principium, & forma- " le, & materiale, & efficiens, & finis. Materiam " eſſe nemo dubitat, efficiens eſt quippe principi- " um creans numerum: finis quoque eſt, quia con- " veniunt omnes unitates, ut unus ſit numerus, & " omnis numerus ſicut inchoatus, ita & terminatus " ab unitate. Forma eſt, quia ipſa addita variat " ſpeciem, & effectum ſpeciei, par, impar. No- " venarius igitur cum ab alio numero non claudа- " tur, & alios ipſe complectatur, mundi machinæ

ſimilis

" ſimilis eſt, quia omnes in ſe partes continet, ipſa
" ab unitate finitur; qui DEUS eſt: illius æque
" principium ac finis. Dividamus ergo Novenari-
" um in partes duas, quod non ſolum ante *Julium*
" *Cæſarem* factum non eſt, ſed ne fieri quidem poſſe
" clamat imparitatis ratio: at enimvero Mundus
" cum duas in partes dividatur, inferas, & ſuper-
" nas; in ipſo quoque numero Novenario, quem
" mundi imaginem eſſe dicebamus, aliqua diviſionis
" ratio excogitanda eſt: poteſt igitur ſic. Able-
" gata ab hac partitione ipſa Unitate, quæ refert
" illud unum vere τὸ πᾶν, verum principium à nullo
" comprehenſum, vel incluſum, Novenarius, qui
" citra eam eſt, per ſuas multiplicationes cumulatus,
" in duo ſectilis eſt, ita ut in bina vicena ſeptena
" diviſus, prioris æqualitatis finem habeat ſeptena-
" rium. Plura habet ejuſdem commatis, quæ longa
nimis eſſent, ſi deſcriberentur. Concludit hoc mo-
do: *Novenarius alios complectitur, ab unitate tamen finitur, mundi igitur machinam repræſentat, quæ omnes in ſe continet partes, ipſa non niſi ab unitate continetur, qui eſt DEUS, ſummum, & Unum Ens, illius principium & finis.* Qui hæc poteſt capere, capiat!

§. IV. Librum claudit his verbis, ſicque etiam ſummum illum rerum omnium Effectorem, Conſervatorem, & Gubernatorem DEUM, in noviſſimo libri hujus margine, cum gratiarum actione putavimus exorandum.

Dei ſupremo percita flamine
Mentem voluntas extimulat meam:
Hinc pernegatum tentat alta
Dædaliis iter ire cereis,

Audetque Cœli non memorabile
Metare numen, principio carens,
Et fine, definire Musa
Exigua breviori gyro.
Origo rerum, & terminus omnium,
Origo, fons, & principium sui,
Suique finis, terminusque,
Ubique totus, tempore in omnibus
Omni quiescere ipse Deus locis,
Partes in omnes distributus,
Inter usque manens ubique.
Nec comprehensum ullis regionibus,
Ullisve clausum limitibus loca
Tenet, sed omnis liber omne
Deditus in spatium vagatur.
Illius alta est velle potentia,
Opus, voluntas invariabilis,
Et magnus absque est quantitate,
Atque bonus sine qualitate.
Quod dicit, uno tempore perficit,
Mirere, fiat vox vel opus prius:
Cum dixit, en cum voce cuncta
Universa simul creata.
Cuncta intuetur, perspicit omnia,
Atque in sua unus, solus est omnia,
Qua sunt, fuerunt, & futura
Prævidet ipse perennitate,
Atque ipse plenus, cuncta replet, sui,
Et semper idem: sustinet omnia.
Et fert, movetque, amplectiturque,
Absque supercilio gubernat.
Te, te, tandem respice me bonus,
Tibique nodo junge adamantino,
Id namque solum unumque & omne,
Reddere quod potis est beatos,

Quicunque junxit te ſibi, & altius
Uni adhæreſcis, continet omnia,
Teque omnibus circumfluentem
Divitiis, nihilque egentem.
Tu, cum neceſſe eſt, nullibi deficis,
Utroque præbes omnibus omnia.
Ipſumque te, qui ſis futurus
Omnibus omnia, ſubminiſtras.
Laborioſis tu vigor inclitus,
Tu portus alta navi fragantibus,
Tu fons perennis perſtrepentes
Qui latices ſalientis ardent.
Tu ſumma noſtris pectoribus quies,
Tranquillitaſque & pax placidiſſima,
Tu menſus es rerum moduſque,
Tu ſpecies & amata forma.
Tu meta, pondus, tu numerus, decor,
Tuque ordo, tu par atque honor, atque amor
Cunctis, ſaluſque, & vita, & aucta,
Nectare & ambroſia voluptas.
Tu verus altæ fons ſapientiæ
Tu certa ſpes, tuque æviterna
Et ratio, debita, veritaſque,
Decus, jubarque, & lumen amabile,
Et lumen almum, atque inviolabile,
Tu, ſumma ſummarum, quid ultra?
Maximus, Optimus, Unus, Idem.

Hæc carmina, quantumvis ſpecietenus ſint divina, attamen revera nihil aliud ſunt, quam panegyricon in laudem Mundi, qui ab Atheis habetur animal ſapientiſſimum, cui omnia attributa divina (horrendum dictu!) applicare non erubeſcunt, ut eò tutius atque liberius, quò tectius, virus impietatis in Vulgus propagent. Lubet ex libro qui inſcribitur, *de Admirandis Naturæ Reginæ Deæ omnium Arcanis,*

canis, pauca quædam deſcribere, utpote ſatis rarò hiſce temporibus, & paucis viſo. Eſt quidem ſyſtema Phyſicum per Quæſtiones & Reſponſiones, pro captu iſtorum temporum non ineptè conſcriptum, Stylus terſus eſt, & latiniſſimus, Philoſophia ipſa Ariſtotelica, per formas, qualitates, humidum atque calidum concepta: Varia ſumſit mutuò à *Cardano de ſubtilitate*; ab *Ariſtotele hiſtor. Animal.* & *Plinio hiſtor. Natural.* Subinde ingenti niſu diſputat de Chimæris, quæ in natura rerum nunquam extiterunt, de Baſiliſco puta, de Chameleonte, de Salamandra, de quorum virtutibus ſubtiliſſimè atque ineptiſſimè differit: ejus opinio de æternitate mundi ſubinde occurrit. Et affirmat, *cap. de Cœlo, pag.* 20. Si in Chriſtianorum Scholis enutritus non eſſet, aſſeveraturum ſe, Cœlum eſſe animal, quod à propria forma, quæ anima eſt, moveatur, & pro more, dicit eſſe æternum, *pag.* 101. Cum de *immortalitate animæ* ex ordine diſputare deberet, hoc modo *Alexandrum*, ſuum diſcipulum, dimittit. " *Alex.* " Quæſo, mi Juli, tuam mihi de animæ immorta- " litate ſententiam explices. *Jul. Cæſar.* Excuſa- " tum me habeas rogo. *Alex.* Cur ita? *Jul. Cæſar.* " Vovi DEO meo, quæſtionem hanc me non per- " tractaturum, antequam ſenex, dives, & Ger- " manus evaſero. *Scripſit varia alia, quorum non eſt* " *immemor*, Commentarios *ſcilicet* Medicos; Com- " mentarium ad librum Ariſtotelis de Meteoris; " Apologiam pro Religione Chriſtiana, atque " Moſaica, *attamen in hoc libro affirmat*, Omnes " novas Religiones oriri ex influentia alicujus po- " tentis ſtellæ. Quælibet Religio in ſui ortu & in- " teritu, non in medio, miracula oſtentat, cujus " rei ratio illa eſt: Quia in longiſſimis temporis in- " tervallis potentiſſimæ intercedunt planetarum con- " junctiones

" junctiones, quo tempore novam Religionem inſti-
" tui, ac proinde ceſſare veterem, clariſſimis expe-
" rimentis Aſtronomi comprobant, & ego, *inquit*,
" validiſſima ratione: ea eſt, quia ex magnis ſide-
" rum conjunctionibus inferiora hæc ſummam cum
" nanciſcantur poteſtatem, admiranda opera pro-
" ferunt. Inſuper hominum voluntates tunc im-
" mutantur: Phantaſia, qua intellectus voluntatis
" conſiliarius utitur, Cœlo ſubjicitur: Quare vir
" ſapiens ſacros æterni nominis honores appetens
" cum hæc futura prævidet, Prophetam à DEO
" miſſum ſe prædicat: Quæque neceſſariò cœleſtium
" corporum vi Miracula fiunt, confictæ ſui ipſius
" omnipotentiæ adſcribit, atque ita deluſa plebe-
" cula illum admiratur & adorat: Sanè ea Mira-
" cula vocitantur, quæ poſt longiſſimam cœlorum
" circuitionem accidunt, non quæ Naturæ vires
" exuperant: Deſierunt oracula, quia inceperunt:
" Nam juxta præcedentes ſuppoſitiones, quicquid
" incipit, definit; deſinere autem non poteſt, niſi
" diſpoſitiones contrariæ adveniant, Veluti non
" corrumpitur ſanguis menſtruus, niſi introducan-
" tur diſpoſitiones hominis formatrices, quæ pri-
" oribus adverſantur: Sic poſt oracula advenit
" lex illis oppoſita, apud poſteros oraculorum lex
" etiam vigebit." Quo fieri comprobare pergit, ut eadem cœleſtium vis, quæ uno tempore religionem Ethnicam peperit, quæque alio mutata cœleſtium diſpoſitione legem Chriſtianam; alias novas religionis rationes certis annorum intervallis ranunculorum ad inſtar procreatura ſit, donec tandem antiqua iſta Ethnicorum ſuperſtitio, aſtris ad eandem poſituram redeuntibus, eadem neceſſitate qua periit redintegretur. Et ne miracula Domini noſtri JESU CHRISTI divina quavis potentia facta

ta esse credamus, aut intelligentiarum aut imaginationis viribus mechanicè contigisse, conatur prolixis Disputationibus exponere. Atqui verò præter egregiè impios hosce mechanismi conatus, suspiciones quasdam in fidei Christianæ opprobrium insinuavit non obscurè, quum Beati Salvatoris JESU CHRISTI calliditatem suspectam habeat, quod Antichristum, qui ideo hominum sceleſtissimus foret, venturum prædixerit, ut si quis postea decretis, quæ ipse docuerat, contraveniret, discipuli, anticipatione ista qua ipsos imbuerat, Antichristum crederent, atque propterea odio haberent. Quæ profectò malè sani deliria, quam constantis Philosophi decreta videntur. Dicit tandem frigidè, *in obsequium Christianæ Religionis, ea omnia se detestari*, quod huic authori est familiare. Haberet hic liber Approbationem publicam æque ac Amphitheatrum. " Nos " subsignati Doctores in Alma Facultate Parisiensi " fidem facimus, vidisse & legisse nos Dialogos Julii " Cæsaris Vanini Philosophi præstantissimi, in qui" bus nihil Religioni Catholicæ, Apostolicæ, & Ro" manæ, repugnans, aut contrarium reperimus, " imò ut subtilissimos, dignissimos qui typis de" mandentur judicamus. Die 19. Maii 1616. F. " Edmundus Conradin, Guard. Convent. F. Min. " Paris.

F. CLAUDIUS le PETIT
Doctor Regens.

Quem hic exitum sua in Vanino impietas habuit; cujus causam discipuli omnes, cum magistrum ad flammas raptum viderunt, deseruere, nisi quod Theophilus, magistro dignus discipulo, in exilium missus fuerit, qui ut ab eodem authore traditur, cum eruditione levi, prompta in dicacitatem facundia, fertili

li maledictis ingenio fuerit, ſcripta ſua omnia impietate & venere deturpavit, qua cauſa eodem anno in carcerem conjicitur, placitoque Lutetiani Parliamenti finibus Galliæ exactus, morbo non multo poſt extinguitur. *vid. Parker. de Vanino.*

In hoc libro typhus hominis & vana oſtentatio altera quoque pagina percipitur, & inprimis in ipſa dedicatoria Epiſtola quam Illuſtriſſimo Baſſampetreo inſcripſit & quam à putidiſſima ſui ipſius admiratione exorſus. Atque in ipſis Dialogis quamquam Lucilii nomen à Sacro fonte acceperat, ſibi tamen *Julii Cæſaris* impoſuit, neque cum quovis niſi ipſo *Alexandro* dialogice ſermonem habere dignatus eſt; quam tamen tam immenſis laudibus ſe cumulare fecit, ut ſi in ipſa *Julii Cæſaris* ſella aurea ſediſſet, ampliores ab adulatoribus ſuis tribuendas eſſe non expectaret; ut apparet ex adulationis apparatu quo ad diſputandum eum pellexerit *Alexander*: plus es apud Sapientum judicia conſecutus laudis, quam ut ne tantillum quidem bonæ famæ per Ariſtarchorum detractionem, & ſemidoctorum cenſorum malevolam invidentiam amittere tibi ſit periculum. Nunquam tamen ſuavius ſe titillaſſe viſus eſt, quam *Dialogo* 55. ubi ut *Thomas Morus* inquit, qui cum *Eraſmum* ignoto habitu acutiſſimè diſſerentem excepiſſet, *vel Dæmon es vel Eraſmus*, ita de tua ſapientia eloquar, vel Deus es vel Vaninus. Neque ſtylo minus magnifico in exequendis *Vanini* exequiis author Apologiæ *Jul. Cæſ. Vanini* Coſmopoli nuper impreſſa, uſus eſt: cum nullo alio enim mortalium ſuum *Vaninum* ad rogum tractatum, niſi cum *Julio Cæſare* in Senatu mactatum comparaverit. " *Adeſte* " *quæſo*, inquit, *ac iterum iterumque fumantem rogum* " *aſpicite.* Julium Cæſarem occiſum, miſerè à ſuis " deformatum, rogo impoſitum Philoſophum, Ro-

" mani

" mani Cæsaris in literis æmulum vidistis. Quod " si vobis veteris Romæ imago recurrit, jam ho- " micidæ ovantes collegium petunt; Cicero quidam " sui temporis patriæ patres appellitat, & si quis " Cæsarem defendere conetur, tollendum existimat." Idem in ipso Dedicationis ingressu magnum animi candorem Lectoribus suis pollicetur sanctissimè, " Plurimis, *inquit*, qui ad scribendum animam " advertunt, multæ solent esse scribendi causæ; " Mihi ferè nulla, nisi veritas & ingenuus candor." Utinam nobiscum communicasset nomen suum, & quare ambo reformidat lucem vir probè candidus & apprimè eruditus? sed de Scriptorum scopo in tacendis suis nominibus nihil attinet hic inquirere, ex insigni modestiâ viri hoc forsan factum esse. Si placuerit, credamus. Nos pauciſſimis hujus defensionis fundamenta recenseamus; primùm, invidiæ Sacerdotum omnia *Vanini* infortunia audacter authoritate suâ tribuere non dubitat, cùm *Vaninus* ipse esset sacerdos fervidus, qui contra Lutherum, Calvinum alioſque reformatores, ut magno ausu susciperet defensionem Concilii Tridentini, imò ut Apologistæ utar verbis, " Tandem in Anglia novus de propa- " ganda fide emergit miles; Officium laboris peri- " culorumque pleniſſimum quod ipse non solum non " detrectavit, sed & Londini captus, & per XLIX. " dies in Latomiis tanquam in palestra quadam ex- " ercitatus, pro Ecclesiæ authoritate defendenda, " effundendi sanguinis desiderio, se accensum & in- " flammatum esse dixit; quæ profectò animi ala- " critas gratiam Ecclesiasticorum *Vanino* conciliare " potius debuit quàm invidiam; potiſſimùm cum " bella adhuc horrida gererentur adversus Reforma- " tos per omnes sparsas Galliæ provincias." Novimus gentem Ecclesiasticam esse animi acerbitate & in-

" in-

invidiâ potentiſſimam, ſed præcipuè erga laicos, nobiles atque principes, qui illos ad vitæ modeſtiam atque parſimoniam primitivam, à luxu in quo diffluunt hujus temporis ſacerdotes, revocare ſatagunt; ſed plerumque ſimilis ſimili gaudet, & ſacerdos ſacerdoti; ſed eſt modus in rebus & diligenter ab exaggeratione immodicâ eſt cavendum, ne videamur ex ſacerdotum malitiâ & invidiâ, nobis parmam & ſcutum fabricaſſe, ad deſtruendum omnem veritatem hiſtoricam; quâ procedendi methodo neſcio an quid triſtius vel infelicius excogitari poſſit. Item *Grammondum* ubique vilipendit; malæ fidei poſtulat nullam aliam ob cauſam, niſi quod multa ſcripta reliquit, memoriæ & manibus *Vanini* parum honorifica; quæ profecto methodus ſi valuerit, conclamatum eſt de omni rerum præteritarum notitia; licebit enim rerum anteactarum nova ſchemata fingere, novaſque circumſtantias ponere; & cum mediocri ingenio, demonſtrare ſobrietatem *Eliogabili*, & *Neronis* benignitatem eſſe maximam, nullo negotio poſſumus; nemo denique *Brunoni* Italo convitium eſt facturus (quem memorat *Caſparus Dornavius*) qui publicitùs Wittebergæ Diabolum laudaviſſe & defendiſſe dicitur. Sed Tholoſæ, inquit, ſupplicio affectus, qua urbe nulla in puniendis hæreticis ſeverior, cùm nunquam in gremio ſuo ferre potuit unum Hugonotum, cùm in aliis urbibus Galliæ ubique ſcaterent, quid mirum itaque, intempeſtivo zelo percitos Tholoſanos ad rogum damnaſſe Philoſophum. Sed perlege hiſtoriam belli Civilis in Gallia, & invenies Tholoſæ fuiſſe tam ingentem Reformatorum numerum, ut non dubitarent cum Pontificiis in media urbe arma conferre, cum horrenda utriuſque partis ſtrage; ſed Reformatis poſt ancipitem atque dubiam pugnam ſuccumbentibus, à Pontificiis fuerunt expulſi, neque denuò unquam admitti potuerunt;

potuerunt; indignabunda enim urbs tantæ ſuorum civium cladis in perpetuum bene memor; ideoque ſine cauſa celeberrima urbs iniqui judicii poſtulabitur. Denique Vir Eruditiſſimus ad calcem ſui operis, audet affirmare, *Vaninum* immortalitatem animæ negaſſe *nullo in loco*; ſed valde vellem illum candidè explicuiſſe quid ſentiat de *Vanini* verbis, *p.* 492. *Edit. Pariſ. apud Adrianum Perier*, 1616. ubi ſecundùm diſcurſus ſui ordinem debebat, qua Phyſicus doctrinam de immortalitate animæ exponere plenius & de induſtria, inſulſo ſatis ſcommate, quod ante monuimus, hoc caput detrectat, & diſcipulum hoc modo expedit: " *Alex.* Quæſo, mi Juli, tuam mihi de ani-
" mæ immortalitate ſententiam explices. *Jul. Caſ.* Ex-
" cuſatum me habeas rogo. *Alex.* Cur ita? *Jul. Caſ.*
" Vovi Deo meo, quæſtionem hanc me non pertra-
" ctaturum, antequam *ſenex, dives, & germanus evaſero*
" ——porro in pagina penultima pergit *Alexander,*
" *laborum tuorum præmium jam conſecutus es, æterni-*
" *tati nomen jam conſecraſti.* Quid jucundius in extremo
" tuæ ætatis curriculo accipere potes, quam hoc can-
" ticum, *Et ſupereſt ſine te nomen in orbe tuum. Jul.*
" *Caſ.* Si animus meus una cum corpore, ut Athei
" fingunt, evaneſcit, quas ille ex fama poſt obitum
" delitias nanciſci poterit? forſitan gloriolæ vocu-
" lis, & fidiculis ad cadaveris domicilium pertrahe-
" tur? ſi animus, ut credamus libenter, interitui
" eſt obnoxius, & ad ſuperos evolabit, tot ibi per-
" fruatur cupediis & voluptatibus, ut illuſtres ac
" ſplendidas mundi pompas & laudationes nec pili
" faciat. Si ad Purgatorias flammas deſcendet,
" gratior ei erit illius orationis, *dies iræ, dies illa,*
" mulierculis gratiſſimæ, recitatio, quam omnes
" Tulliani floſculi, dicendique lepores, quam ſub-
" tiliſſimæ & penè divinæ *Ariſtotelis* ratiocinationes
" Si.

" Si Tartareo (quod Deus avertat) perpetuo carce-
" ri emancipatur, nullum ibi ſolatium, nullam re-
" demptionem inveniet. *Alex.* O utinam in Ado-
" leſcentiæ limine has rationes excepiſſem, præteri-
" ta mala ne cogites, futura ne cures, præſentia fu-
" gias. *Al.* Ah! *J. Cæſ.* liberaliter ſuſpiras. (Tum quemadmodum ſuperius, p. 493. omnes famæ ramunculos cum uno Amaſiæ baſiolo cnmmutandos plerique philoſophi ſuadent, ita nunc ſe expedit) illius verſiculi recordor:

Perduto è tutto il tempo che in amor non ſi ſpende.

Jam cedo quemvis arbitrum ſi hæc verba ſunt Athei, vel Philoſophi Chriſtiani, qui firmiter credit animarum immortalitatem. Imò ille *Vaninus* ſatis percipit, nullum eſſe Virum tam obeſæ naris, qui non ſatis videat quò tendant hæc verba, quapropter pro hominis aſtutiâ ordinariâ, ſingula verba divino Romanæ Eccleſiæ oraculo ſubjecta eſſe cupit. In hoc libro obſervavimus, authorem in omni fere magna urbe per totam Europam acerrimas diſputationes cum aliquibus Atheis, non ſecus, ac ſi illis literas habuiſſet commendatitias, quapropter fas eſt ſuſpicari, utrum *Julius Cæſar* Philoſophus & Theologus præſtantiſſimus erat necne, ille Atheus, qui Genevæ, Amſtelodami aliiſque in locis, impiis ſermonibus contra DEI exiſtentiam miſcere ſolebat cum *Vanino*? alioquin planè oportebat aut *Vaninum* de induſtria quæſiviſſe Atheos, aut Atheos quæſiviſſe colloquia *Vanini*. Multa alia ex hoc libro allegare poſſem, ſed fortaſſis hæc plus ſatis: addam, quod *p.* 428. affirmat de ſuo libro, cui titulus *Amphitheatrum, Et multa in eo libro*, inquit, *ſcripta ſunt, quibus à me nulla præſtatur fides. Coſi va il modo Alex.* non miror, nam ego crebris

bris vernaculis hoc usurpo sermonibus. *Questo mondo è una gabbia de matti*: quid hæc verba volunt non novi, nisi quod iste liber tam illustri titulo insignitum, nihil aliud esse nisi verba dare hominibus credulis, & palpum objicere incautis: Candidus Lector ipse quamoptimè conjiciet.

Caput IX.

§. I. Claruit in Gallia multo ante, tempore scilicet *Caroli* IX. & *Henrici* III. *Johannes Bodinus*, qui à nonnullis impietatis postulatur, propter librum ab eo scriptum, cui titulus *Heptaplomeres de abditis rerum sublimium arcanis*; Non à numero librorum, ut *Claudius Sarravius*, in *Epist. p.* 325. conjectat, sed septem personarum numero colloquentium, quos libris illis induxit, ita dictus. In illo autem *Paulo Coronæo* partes dedit agendas religionis Pontificiæ, *Frederico Podamico* Lutheranorum, *Antonio Curtio* Reformatorum, *Hieronymo Seuamo* Indifferentium, *Diego Toralbæ* Naturalistarum, *Solomoni Barcassiæ* Judæorum, & *Octavio* tandem *Fagnolæ* Mahommedanorum. Eâ verò ratione inter se colloquentes committuntur, ut præcipue Judæi, inde Indifferentes, tandem Naturalistæ palmam obtineant; reliqui verò instructi levibus argumentis, responsionibus suis titubent & hallucinentur, & præter Naturalistas, causâ suâ cecidisse quisque videatur. Sic hactenus Clar. *Hartnaccius* in *Continuatione Histor. Eccles. Micrælii*, sed *Bailius* in Dictionario dicit, *Judæum ubique victorem*; & sunt, qui scriptum reliquerunt, *Bodinum* in sententia Judæorum è vivis decessisse; alii, eum fuisse Magum, memoriæ tradiderunt: sed omnia incerta, hoc tamen,

men, opinione omnium, certiſſimum eſt, fuiſſe ſui temporis Juriſconſultorum facilè peritiſſimum.

§. II. *Bodino Edwardum Herbertum* adjungo, Comitem de Cherbury, & parem Angliæ quem & *Kortholtus*, in libello de *tribus Impoſtoribus*; omnium trium primum facit, atque ejus opiniones de induſtria explicat & refellit, quarum ſummariæ atque præcipuæ hæ ſunt, quæ & *Bodino* communes, (1.) Eſſe ſupremum aliquod Numen. (2.) Coli debere. (3.) Virtutem pietatemque eſſe præcipuas partes cultus divini. (4.) Vita & ſcelera quæcunque expiari debere pœnitentia: (5.) Dari præmium & pœnam poſt hanc vitam. Ex quibus abundè conſtat illum non fuiſſe Atheum: ſed an fuerit orthodoxus Chriſtianus altioris eſt indaginis: vide laudatos Authores, qui ejus opiniones fuſè explicant.

§. III. Properat noſtra oratio ad virum longe celebratiſſimum *Thomam Hobbeſium*, An. 1588. *Aprilis* 5. Malmesburiæ, agri Wiltonienſis, oppido natum, præmaturo quidem partu, matre nempe, imminentis claſſis Hiſpanicæ portubus Anglicanis metu percuſſa. Patrem habuit ejus loci verbi divini Miniſtrum, ut tempora atque locus ferebant, ſatis doctum. Anno ætatis octavo *Roberto Latimero* Oxonienſi commendatus fuit, apud quem prima literarum rudimenta poneret, ſub cujus ductu in Latinis atque Græcis progreſſus fecit, ut condiſcipulos longis intervallis poſt ſe relinqueret. Anno 1603. ætatis vero decimo quinto Oxonium miſſus in aulam Mariæ Magdalenæ, cui eo tempore *Jacobus Huſſæus* Legum Doctor, poſtea Eques auratus, & Cancellarius Sarisburienſis, Præfectus erat; ſummum quoque eadem tempeſtate, magiſtratum Malmesburiæ

agebat *Franciscus Hobbes*, *Thomæ* hujus patruelis: Is non tantum illum Oxonii per quinquennium suis sumptibus aluit, sed & postea moriens haud parum illi testamento legavit. In hac Academia Logicæ præcipuè atque Physicæ Aristotelicæ, prout ex mente *Scoti* prælegebantur, operam dedit, cursuque illo Philosophiæ emenso, Baccalaurei titulo ornatus est, Anno 1608. *Guilielmus Cavendish*, Baro de Harwich, postea Devoniæ Comes, Juvenem doctum & moribus gravem, filio suo natu maximo, annis propemodum æqualem, eique eo gratiorem futurum, sibi dare præoptavit, qui studiis scilicet & moribus ejus præficeretur; atque Præses tunc Aulæ Mariæ Magdalenæ, *Johannes Wilkinson*, præ cæteris ei hanc in rem laudavit *Hobbium*. Hic quoque illustris Juvenis latus ejus assiduè texit, artibus hoc genere dignis eum imbuit, in venatione omnibusque ejus generis exercitiis fuit Comes discipulo individuus, ut patris atque filii singularem sibi conciliaret favorem, atque dignus haberetur, quem in Gallia & Italia peregrinantem sequeretur. Ilio in itinere, cum plurimis passim Viris doctis colloquia instituit, exque iis adeò profecit, ut sordere illi jam inciperet umbratilis sapientia Academica; posteà reversus, gratiâ Candisianæ Gentis facile obtinuit, ut in amicitiam *Francisci Baconis de Verulamio*, Baronis & Vice-Comitis Sancti Albani, Magni Angliæ Cancellarii reciperetur. Hic enim *Hobbii* vel maximè opera, in scriptis suis ex Anglicano Idiomate in Latinam transferendis usus. Obiit autem An. 1626. *Guilielmus*, Devoniæ Comes, & biennio post idem ille ejus filius, cui *Hobbius* Comes addictus fuerat, magnifici hactenus studiorum illius Patroni. Huic dolori, cùm in Anglia solatium non inveniret, diverticulum saltem *Hobbius* quæsivit in Gallia, conditionem ferente Nobilissimo Viro

Ger-

Gervaſio Clifton, in agro Nottinghamienſi, ut ſcilicet filio peregrè ituro Dux itinerum atque ſtudiorum eſſet. Eo tempore annum tam quadrageſimum prætervectus, Euclidis lectione, Demonſtrationum ſcilicet perſpicuitate & continua ſerie delectatus, huic poſtmodum viæ in promovendis aliis quoque ſcientiis inſiſtere conſtituit. Anno 1631. à Comitiſſa Devoniæ revocatus eſt, ut filii ſui tredecim annorum ſtudiis præeſſet: pro grato itaque erga patrem fratremque affectu, eam curam libentiſſimè accepit, & cum eo Anno 1634. Pariſios abiit, ibique cum *Martinio Merſenno*, Ordinis Minorum, & *Petro Gaſſendo*, Celeberrimis Mathematicis, ferè quotidie colloquutus, in promovendâ rerum naturalium ſcientiâ omnem operam impendit: atque licet An. 1637. cum Comite ſuo in Angliam rediret, cum Celeberrimis his tamen Philoſophis literarum commercia continuavit, donec ingrueret bellum civile in Anglia; *Hobbius* eapropter quantocyus in Galliam ad eos, ut diximus, Viros Celebres contendit, ubi honeſtiſſimo otio literario uſus eſt, (dum horrida bella affligerent ſuam patriam,) atque ibidem conſcripſit librum de *Cive*. Obiit An. 1679. ætate graviſſimus. Anno ſequenti Hobbeſianiſmi Anatomen *Gisbertus Coquius*, Verbi Divini in Cokengen Miniſter, *Ricardus* autem *Cumberlandus*, us *viburgenſis* nunc Epiſcopo *Pet.* in diſquiſitione de legibus Naturæ, Philoſophiæ Hobbeſianæ Elmenta accuratiſſimè expendiſſe videtur. Si fortè plura quis de ejus fatis percupiat ſcire, conſulat eos, qui vitam *Hobbeſii* ſoluta oratione & ligata conſcripſerunt.

§. IV. Quantum attinet ejus ſcripta, non ſunt unius argumenti, neque idiomatis, præcipua tamen ſunt problemata phyſica, quibus annexæ propoſitiones de magnitudine circuli, & duplicatione cubi;

Examinatio & Emendatio Mathematicæ hodiernæ liber, *Johanni Wallisio*, Professori Oxoniensi oppositus, Elementa Philosophiæ, opus tribus Sectionibus distinctum: quarum prima, de Corpore inscripta, naturam Philosophiæ in genere, neque Logicas, Physicas, Metaphysicas, & Mathematicas, peculiari, nec alias, usitata ratione & methodo proponit; secunda speciatim de Homine agit; tertia de Cive; porro Dialogus de natura Aeris; liber de principiis & ratiocinatione Geometrarum, contra fastum Professorum Geometriæ; denique Leviathan; sive de materiâ, formâ, & potestate Civitatis Ecclesiasticæ & Civilis. Ad ingenium hujus, quod attinet, Judice *Kortholto*, Herbertiano perquam id in multis est simile, nam ut ille novis suis inventis, quæ jactat; magnopere se effert, aliosque eruditos superbè præ se contemnit, ita non minus ille, scribens videlicet *Hobbes* ad *Samuelem Sorberium*, eique suum de Artis natura dialogum inscribens, " Conveniant, ait, de " societate Philosophorum, singulis septimanis in " Collegio Gresham ensi, ad promovendam scientiam " naturalem convenientium, studio conferant, ex- " perimenta faciunt, quantum volunt, nisi & prin- " cipiis utantur meis, nihil proficiunt. Ignorato " enim motu, ignorari naturam, rectè censuit Ari- " stoteles. Si ad scientias sufficeret ingenium, nulla " nobis scientia jamdudum defuisset. Nova enim " hæc Academia ingeniis abundat excellentissimis; " Sed aliud est ingenium, aliud ars." quanquam, ut solemus, in propria causa suspecti aut cœci etiam esse Judices, Viri docti alii longè diversum de nova hujus Viri Philosophiâ pariter & Theologiâ sentiant, ipsius nominatim gentiles, seu sympatriotæ, *Sethus Wardus* & *Johannes Templerus*. Cui postremò, de prostrato in Idea Theologiæ Leviathanis Hobbianissimo,

mo, hoc cecinit Carmen non inelegans *Car. Rebotham* Norfolcienſis:

Quis hic Coloſſus, qui tremendis faucibus
Immane hians, porrectus immenſum jacet,
Vomituque turpi fœda ructans dogmata,
Utrumque & hinc & inde littus polluit?
Malmsburienſis Hydra, Pelago luſitans,
Grandis Leviathan, & Gigantæus Draco,
Informe Monſtrum, Belluaque Britannica,
Uſque adeo, ad inſtar Africæ, hit & angulus,
Subinde nobis aliquid apportat novi.
Sed, gratiâ ſuperis! pari paſſu ambulat
Noxa & medela, &c.

§. V. Ad ſuperiora, ut revertamur, ſicut amore novarum opinionum *Herberto Hobbius* non cedit, ita neque Zelo evertendi Religionem Chriſtianam, ejuſque fundamenta concutiendi. Quanquam non eodem modo ut ille, ſed planè diverſa ratione, impium iſtud negotium aggrediatur. Etenim cum Herbertianæ Theologiæ πρῶτον ψεῦδος ſit, nihil ut certum indubitatoque verum in Religionis cauſa admitti oportere, niſi quod ſenſuum rationiſque humanæ judicio, & univerſali omnium, qui quidem ſanæ mentis ſunt, conſenſu comprobetur; *Hobbius* contra, rationi & conſenſui tam parum tribuens, ut ne quidem Deum eſſe, ex Naturæ lumine omnibus mortalibus conſtare, aut omnibus conſtare poſſe, palam doceat (vid. librum *de cive*, cap. 14. 19. *in Annot.* & confer cap. XIV, 15. XVI, 1.) à Poteſtatis Civilis arbitrio Religionis ſummam ſuſpendit, & in illo ſolo hèic acquieſcendum, eique rationem humanam abſolutè ſubmittendam eſſe diſputat. Quod cum adeò portentoſum ſit dogma, ut ſano homini in mentem venire id potuiſſe, vix ſibi perſuaſurus ſit Lector;

operæ pretium fuerit, quod revera primarium hoc ſit univerſæ Hobbianæ Theologiæ fundamentum, ex ſcriptis ejus paulò accuratius oſtendere. Ante omnia itaque notetur heic locus ex *Leviathane, cap.* 33. ubi de Scripturæ ſacræ auctoritate diſputans Hobbius, " Quatenus, *ait*, non differunt Scripturæ à legibus " Naturæ, dubium non eſt, quin ſint leges Dei, " auctoritatemque habeant omnibus, qui ratione " naturali præditi ſunt manifeſtam. Sed auctoritas " hæc alia non eſt, quàm quæ doctrinæ omni morali, ſi vera ſit, attribuenda eſt. Si leges à DEO " ipſo factæ ſunt, nempe leges divinæ poſitivæ, " nulla accedente authoritate humana, illis ſolis leges ſunt, quibus DEUS ipſas ita promulgavit, ut " nulla illis per ignorantiam relinquatur excuſatio. " Illi igitur, quibus DEUS non revelavit ſupernaturaliter, quod ſcripturæ ab illo ſint, vel eos, qui illas " prædicant, ab eo miſſos eſſe, nulla, ut eas recipiant, authoritate obligantur, præterquam ejus, " qui ſummam habet in Civitate poteſtatem. Is " enim legiſlator ſolus eſt. Rurſus, ſi authoritas " civitatis non ſit, quæ ſcripturas facit eſſe leges, " authoritate aliquâ aliâ, vel privatâ, vel publicâ " id fiet. Si privatâ, is ſolus ad obedientiam tenetur, cui Deus illas ſupernaturaliter pro legibus " dictavit. Nam ſi unuſquiſque pro Legibus Divinis obligaretur, quicquid aliquis prætextu inſpirationis, vel revelationis obtruderet (in tanto " hominum numero per arrogantiam, vel ignorantiam, ſomnia, phantaſmata, inſaniamque, pro " ſpiritus divini teſtimoniis accipientium, vel per " ambitionem falsò jactitantium) impoſſibile eſſet, " ut leges ullæ pro divinis agnoſcerentur. Sin " Scripturæ Leges fieri non poſſunt ſine authoritate publicâ, authoritas illa Civitatis erit vel Ec-

" cleſiæ

"cleſiæ!" Atque ita porrò quod Eccleſiæ eſſe nequeat, oſtendere ſatagit, ut obtineatur, eſſe Civitatis, ſive ejus, penes quem ſumma in Civitate poteſtas eſt. Multa alia nefanda contumeliosè de Scripturâ ſacrâ effudit, ut in libro *de Cive*, cap. XVII, 27. *quod Scripturæ ſacræ interpretatio, hoc eſt, poteſtas controverſias omnes determinandi, dependeat & derivetur ab authoritate illius hominis, vel cœtus, penes quem eſt ſummum imperium Civitatis.* Sed ab inſtituto noſtro alienum eſt, plura deſcribere. Sunt qui ſuſpicantur, *Hobbium* multa hujus commatis evulgaſſe in gratiam Regum Angliæ, qui tunc temporis ambiebant imperium ſingulare.

§. VI. Sed pergendum eſt, videbimus autem, non horrere novum hunc Theologum, conceptis verbis ſeditioſæ doctrinæ. Chriſtianiſmum poſtulare, quod monſtrat locus in libro *de Cive*, cap. VII. vulgo docetur, Fidem & Sanctitatem non ſtudio & ratione naturali acquiri, ſed ſemper ſupernaturaliter hominibus infundi vel inſpirari. Sed *Hobbeſius* huic Evangelii dogmatibus valde infenſus, pro ſummâ ſuâ erga Rempubl. benevolentiâ atque ſtudio, exclamat, *Fidem & Sanctitatem non ſtudio & ratione acquiri, ſed ſemper ſupernaturaliter infundi*; SEDITIOSA OPINIO. Vidimus hucuſque, quod *Hobbius* poteſtatem de Religionis negotio ſtatuendi abſolutam, & cui ullo modo refragari grande nefas ſit, Civili tribuat imperio; atque hoc dogma primum ac præcipuum Univerſæ Theologiæ fundamentum faciat: Jam ſi ſeriò, & ex animi ſententiâ ſic ſtatuit, oportebit utique ipſummet, quod ſpectat ad res fidei, ſcitis, placitiſque ſummi Magiſtratus Britannici acquieſcere, iisque intellectum ſuum ſubmittere, id quod à ſe fieri, non ſemel profitetur, nempe in Epiſtola ad *Franciſcum Godolphinum*, qua ſuum ei

Levi-

Leviathan inscribit, *Ne quid*, ait, *contra doctrinam Ecclesiæ nostræ publicam scriberem (dissentire enim in singularibus licitum est) diligenter cavi.* Et alibi: *Nullos*, inquit, *ego libros pro Scripturâ Sacrâ agnoscere debeo, præter eos, quos sancivit Ecclesia Anglicana.* Ubi Ecclesiæ nomine summam potestatem Civilem illum innuere, è contextu manifestum. Dixerat enim paulò ante: *Cum ostensum sit supra, illos, qui summam habent in Civitate sua potestatem, solos legislatores esse; Sequitur libros illos solos Canonicos, id est, leges esse, in unaquaque Civitate, quæ summa imperantis authoritate lata sunt.* Cæterum *Hobbesianam* isthanc protestationem, facto prorsus esse contrariam, nemo non videt. Quid enim? an qui summam habent in Britannia potestatem, auctoritate sua sanxerunt dogmata, quæ ex Hobbesii scriptis nos hucusque retulimus? quod Hobbesius propugnat in Appendice ad Leviathan, nec non quod ille alibi, *Deum in personâ propriâ creasse Mundum, in personâ Filii redemisse genus humanum, in personâ Spiritus sancti sanctificasse Ecclesiam?* Porro an sanxerunt, negandam atque impugnandam satisfactionem Christi atque immortalitatem animæ? quæ omnia apud *Cl. Kortholtum* reperies probata.

§. VII. Alios ejus errores quam brevissimè potero, hic adjungam, uti apud Clar. *Hartnaccium* ex *Hobbesii* scriptis excerptos invenio. (I.) Scriptura Sacra dicitur Verbum Dei, non tam ratione principii, à quo est prolatum; quam objecti, de quo agit; imò nec nominis inspirantis, sed hominis tantum scribentis. (II.) Fides ergo nostra, quam habemus Scripturæ S. non nititur authoritate Dei; sed existimatione de persona, quæ eam revelationem literis complexa est. (III.) Prophetas autem DEUS miraculis editis commenda-

mendavit populo, ut fide dignos. (IV.) Semina Religionis naturalis ſunt metus Spirituum, Eventus fortuiti, & quæ ex hominum phantaſia Judiciis, Paſſionibus, aut Conſiliis diverſorum diverſis naſcuntur. (V.) Religio omnis reſolvitur in fidem, quæ illius perſonæ habetur, qui iſthoc ad nos defert. (VI.) Atheiſmus ergo, peccatum utut graviſſimum, tamen imprudentiæ tantum eſt; etſi enim nonnulli ratione naturali exiſtentiam ſummi Numinis inveſtigare poſſent: hoc tamen non omnium eſt imprimis qui ſeculo ejuſque bonis adhærent. (VII.) Quemadmodum Deus ſub conditione benedictionis obligabat ſibi ad cultum Abrahamum: Ita hic quoque ſibi poſteros ad eundem ſibi cultum obſtringendi jus, vi ſuperioritatis ſuæ habuit. (VIII.) Authoritas itaque ſupremi magiſtratûs conſtituit in populo, ut S. Scriptura ſit regula fidei, eamque perſuadent porrò auditoribus ſuis Verbi divini Miniſtri. (IX.) Libros V. T. ab iis authoribus eſſe ſcriptos, quorum nomina præ ſe ferunt, perquam dubium eſt. Vix origo eorum altius, quam ad *Eſdram* deduci poteſt, qui auxilio Spiritus S. eos reſtituiſſe dicitur. N. T. demum libri publica authoritate, quarto Seculo, à Concilio Laodicenſi recepti ſunt. (X.) Summa interpretandi poteſtas penes eum eſt, qui habet ſummum Imperium; in rebus fidei penes Eccleſiam, quatenus à CHRISTO illud donum habet per impoſitionem manuum. (XI.) Unicus fidei articulus eſt, ad quem reliqua credenda referuntur omnia, nimirùm, quod JESUS ſit CHRISTUS. (XII.) Quoniam quicquid verè eſt, Corpus eſt, neque magnum aliquid fingi poteſt, niſi corporeum, DEUS utique maximum omnium corpus eſt: hoc paſſim ſuſtinet ſeriò, & defendit, authoritate *Tertulliani*, aitque, à Concilio Nicæno non definitum, Deum eſſe incorporeum. Vid. *Leviathan*, cap. 46. 528. *Deinde*

inde, inquit, *nata est opinio de substantiis incorporeis*, id est, *nullam habentibus magnitudinem*, & *quod DEUS ipse Optimus Maximus magnitudinem non habeat*, *quanquam neque* Substantia Incorporea, *neque* Substantia Immaterialis *in Scriptura sacra inveniatur*. (XIII.) Non possumus Dei ideam, aut conceptum in mente aliquem habere, quoniam infinitus est. (XIV.) Voces Hypostasis, Persona, Generatio, Processio incommodè in Divinitate adhibentur; præstat mittere argutias illas, & Scripturæ verbis loqui. (XV.) Angeli non sunt Substantiæ Spirituales, sed Apparitiones tantum, aut motus à Deo hominum mentibus immissi, ad voluntatem suam iisdem significandam: mali verò, vel prava hominum Consilia, vel improbæ mentis terriculamenta, vid. *Leviathan.* cap. 34. p. 186. *Angelus* vox Græca, apud scriptores tam sacros, quam profanos significat *Nuncium*; in Scripturis autem sacris plerumque *Nuncium à Deo*: Nuncium autem à DEO est omne id, per quod Deus supernaturaliter præsentiam, sive potentiam suam extraordinariam manifestam facit, præcipuè verò in somniis atque visionibus. De Creatione Angelorum in Scripturis sacris nihil diversis verbis traditur. Scriptores igitur Ecclesiastici de natura Angelorum dissentiunt. Veterum autem Patrum nonnulli corporeos eos putaverunt, alii nonnulli incorporeos. Vocantur passim in Scripturâ Sacrâ Spiritus, sed Spiritus tum à Scriptoribus Judæis, tum Græcis, modo corpora subtilia, ut aër, ventus, spiritusque animalium, modo phantasmata existimantur, quæ nec realia sunt, nec diutius permanent, quam somnium & visio, in qua apparent. Quæ phantasmata, sive apparitiones, etsi substantiæ non sint, sed accidentia organorum sentiendi, quando tamen à DEO ad voluntatem

tatem ſuam ſignificandam, ſupernaturaliter producuntur, non improprie Nuncii à Deo, id eſt, Angeli appellantur. (XVI.) Intellectus homini communis cum brutis, quia ab his prudentia ſæpe vincitur. Sermonis tantùm & ordinis beneficio has Facultates ulterius promovet. Neque enim illa ratio nobiſcum naſcitur, uti ſenſus; Sed ejuſmodi Facultas quædam, quæ prout exercetur magis atque magis, rectius porrò præſtantiuſque vires ſuas exerit; adeò ut vix quædam in his hominis à bruto ſecundum eſſentiam ſit differentia. (XVII.) Anima rationalis non legitur in Scriptura Sacra, condita à DEO natura ſua immortalis, aut ſubſtantia incorporea, ſed reſuſcitabitur ſolum homo ante diem Judicii, per Redemptionis Chriſti gratiam, (XVIII.) Origo juris Dei in Creaturas, ſumma illius poteſtas eſt cui non poteſt reſiſti. Poſteà interceſſit pactum cum hominibus, apud quos pro temporum ratione diverſa diverſimode illud adminiſtravit. Succedit autem Patri poſt Judicium extremum in regno illo Chriſtus, qui id ſibi redemptione generis humani Jus peperit. (XIX.) Venit autem Chriſtus in mundum, ut Patri regnum, quod in electione Sauli à populo rejectum fuerat, reſtitueret, & ſibi per pactum in Baptiſmo regnum aliquando pararet; & quamvis mors ejus pro omnium peccatis non ſatisfaceret, id tamen præſtaret, quod Deus ſummè miſericors in pretium redemtionis lege poſtulaverit. (XX.) Quemadmodum Supremus Magiſtratus non injuſtè agit, quando innoxio vitam eripit: ita ſubditi quoque evitandi ſupplicii cauſâ, contra Magiſtratum poſſunt inſurgere. vid. *Leviathan.* c. 21. p. 106. contingere ergo poteſt, & contingit ſæpe in civitatibus, juſſu ſummam habentis poteſtatem, innocentem etiam ſine injuria interfici; ut quando filiam ſuam occidi juſſit *Jephta*: etiam

am in occisione *Uriæ*, etsi Rex *David* iniquè fecit, & contra DEUM graviter peccavit, contra *Uriam* tamen non peccavit, qui facti illius authorem se fecerat, *TIBI SOLI PECCAVI*; sunt verba ipsius *Davidis* ad DEUM, à DEO enim solo obligari potuit Rex; hic excitat Reges contra subditos, & eos erigit in tyrannos; sed p. 106. incitat subditos contra Reges, & classicum canit ad rebellionem; Et certè ut eo semper tendat Atheorum doctrina, necesse est, quum nullum aliam agnoscant potestatem, neque tribunal post hanc vitam: & quod ad hanc vitam attinet, Principi obediendum, quia is timendus est. (XXI.) Non potest firmiter probari, cruciatus impiorum æternos fore. *Leviath.* c. 44. p. 295. *Per hanc*, inquit, *fenestram (scilicet immortalitatem animæ) doctrina illa tenebricosa intravit, de* CRUCIATIBUS ÆTERNIS *&* POENIS PURGATORII. DEUM denique esse disertè negat his verbis: Quod autem res eadem & *spiritus* sit & *corpus*, intelligi non potest; spiritus enim loco & figura, id est, termini & magnitudine sua aliqua determinatur; & proinde corpus est, utcunque tenue & insensile, illi igitur, qui meditatione propriâ in cognitionem venerunt unius infiniti, omnipotentis & eterni DEI, maluerunt illum supra intellectum nostrum incomprehensibilem esse confiteri, quam Naturam ejus per *spiritum incorporeum* (præter Scripturæ authoritatem) definire, & deinde confiteri definitionem illam non esse intelligibilem: sed DEUM esse Spiritum incorporeum dixerunt fortasse non dogmaticè, ut naturam divinam per ea verba comprehenderetur, sed ex intentione pia, DEUM attributo aliquo honorandi, quod corporum visibilium crassitudinem à DEO removerent, quæ verba docent *Hobbesii*, DEUM esse materiam subtilissimam;

quæ

quæ certe natura sua condensationem non respuit, quemadmodum contra, materia quæque crassissima natura sua possit ita rarefieri, ut tandem deveniat Hobbesio omnipotens & æternus DEUS. Sed quantumvis crassè & impiè de DEO scripserit hic materiæ venerator, plures tamen habuit defensores valde benevolos atque ingeniosos, qui multis salibus magnum Hobbesii Leviathan inspergunt diligenter, ut omnibus lectoribus cibus fiat delicatissimus; sed frustra certè & incassum, persuadebunt illis qui gustu non depravato noscunt inter mentem cogitandi facultate præditam & materiam inertissimam distinguere; neque quicquam adjuvare potest comparatio nuper posita inter *Hobbesium* & *Tertullianum*, qui & etiam DEUM corpus appellasse legitur; cum non ex voce aliqua inconsideratè forsan posita, sed ex scopo authoris, ex toto contextu & ex argumentorum indole judicandum est. Omnis *Hobbesii* ratiocinatio eo tendit ut omnem substantiam immaterialem, DEUM, Angelos, mentem humanam prorsus destruat, ut interea materiæ, τῷ Pan DEO suo, omnia studia sua, cogitationes atque cultum tribuat. Novimus quoque maximam differentiam inter *Tertulliani* tempora, & *Hobbesii* esse ponendam, cùm non ita accuratè vel cautè in vocibus adhibendis esse solebant istius seculi scriptores.

Caput.

CAPUT X.

§. I. JAM tandem ad Atheorum Principem devenimus *Benedictum Spinosam*, virum initio Judæum, sed postea ob portentosas suas opiniones excommunicatum; atque sic tandem, nescio quibus artibus & fraudibus, inter Christianos nomen professum, & ab illo tempore à Judæis vulgo, *Arur Spinosam* dictum (id est) *maledictum*. A juventute dedit operam literis cum Rabbinis, & Linguæ Latinæ atque *Philosophiæ Cartesianæ*, sub auspiciis *Francisci van Ende*, hominis Athei, cui Atheismum *Spinosæ* acceptum referunt Judæi. Et postquam frustrà tentassent ei persuadere, ut opinionibus suis impiis renunciaret, extruserunt eum ex societate Judaica, ut inter Christianos venenum suum vomeret. Et quidam ejus gentis illum comædia egredientem, insidiosè adortus cultro leviter vulneravit, eoque suspicionem injecit, mortem sibi fuisse structam. Exin totus eos deseruit, & Christianorum se cœtui adjungens, Baptismo tinctus est, & velut linguam Hebræorum cum gente exosus, *Baruchi* nomen cum nomine *Benedicti* commutavit. Discessionem suam *Apologiâ* Hispanicè scripta defendit; Hæc non impressa fuit, constat tamen, multa ibi contenta fuisse, quæ jam inserta leguntur detestando & pernicioso tractatui Theologico, qui Amstelodami, non, ut mentitur Titulus, Hamburgi, Anno 1670. editus, ac postea in Gallicum sermonem translatus fuit.

Spinosæ Philosophiam exolenti, cum nec Præceptores nec ullus Scriptor, ullâve doctrina pro voto satisfacerent, illa summâ sciendi cupiditate flagrans,

grans, ſed rationis ſuæ ambitioſæ malè argutæ viribus, magis quàm divino auxilio, fretus, quid ingenio ſuo valeret, experiri decrevit; *Carteſii* que Scripta Philoſophica præ cæteris in conſilium adhibuit. Poſtquam igitur ſe ab omnibus occupationibus expedivit; urbem Amſtelodamum, ubi natus & educatus fuit, quò minus ab amicorum ſalutantium frequentiâ interpellaretur, reliquit; Et converſationi omni quaſi renuntians, celebritatem cum ſolitudine permutavit, Rhenoburgi primò, tum Voorburgi, & tandem Hagæ-Comitis ſedem ſuam figens, In iſto receſſu in inquiſitionem Veritatis pertinaci induſtriâ incubuit; ſimul ſe in Opticis, & tornandis poliendiſque vitris, quæ teleſcopiis, & microſcopiis inſervirent, exercens. In inſtitutum ſuum tantâ animi contentione proſecutus eſt, ut per tres continuos menſes pedem domo non extulerit. Imò cùm Palatinus Elector, Anno 1673. ipſi Profeſſionem Philoſophiæ in Academia Heidelbergenſi, cum ampliſſima, ſed religioni non obſtatura, libertate philoſophandi obtuliſſet; eam dignitatem recuſavit, ne à promovenda Philoſophiæ, ut ipſe, in *Epiſt.* 54. ſcribit, ceſſare deberet. Sic dum rerum naturalium eſſentias & proprietates curiosè magis, quam piè rimatur, in errorem *Capitalem* incidit: DEUM & *Naturam* unum eſſe & idem.

Interim fama hujus Anachoretæ Philoſophici adeò ſe ruri non continuit, ut potius quæcunque ingenia quæ pro fortibus haberi vellent, ejus ambirent amicitiam. Condæus quoque Princeps, cum A. 1673. Ultrajecti cum copiis Gallicis verſaretur, *Spinoſam*, literis publicis, ut ſine periculo iter facere poſſet, inſtructum, Hagæ-Comitis ad ſe evocaſſe dicitur, ut cum Auctore Tractatus illius famoſi ſermonem haberet. Si converſationem & mores ſpectes, non

tantum ex eo tempore, quo Evangelium cœpit profiteri Mennonitarum aut Arminianorum Cœtus Amstelodami frequentavit, sed etiam ab Amicis, & agrestibus, cum quibus arctius vivebat, hoc testimonium obtinuit: esse hominem affabilem, honestum, officiosum & moribus compositum; quo etiam solo, dicam Atheismi ab aliquo sibi scriptam, *Epist.* 49. amovit. Ad postremum Hagæ-Comitis 23. Febr. postquam annum ætatis 44. excesserat, Phthisi mortuus est, de Atheismo suo firmiter ut ferunt, persuasus, aut saltem ejus Professioni inhærens. Nam paulò ante obitum mandavit, ut *Ethica* sua imprimeretur. Valde autem cavit, ne qua immutati animi memoria de se extaret: Nam seriò curare jussit, ut si se morti vicinum vis morbi contra Systema suum forte moveret loqui, omnes suspectæ fidei arbitri, nominatim Ecclesiastici, removerentur.

Non sine ratione adfirmat Dn. *Belius*, *Spinosum* per abusum quorundam *Cartesii* Principiorum in hæc præcipitia, & quidem paulatim abductum esse. Quod verò statuit, eum Anno 1663. quo Principia Philosophiæ Cartesianæ Geometricè demonstrata edidit, ab Atheismo adhuc alieniſſimum fuisse, & de Deo non pejus, quàm *Cartesium*, sensisse, in eo ipsum *Spinosam* reclamantem habet, in *Epist.* 2. & 4. *ad Oldenburgium*. Illæ enim Epistolæ planè gemellæ, scatent iis dogmatibus, quæ in ferali Ethica inculcat: Imò aperte fatetur, (*Epist.* 9. ad eundem) se non omnia in Principiis Philosophiæ Cartesianæ contenta pro suis agnoscere, & eorum contrarium prorsus amplecti; *Henricus* verò *Morus* putat *Hobbesii Leviathanem* à *Spinosa* diligenter lectum, tam monstrosas opiniones ingeneraſſe.

Johan-

Johannes Chriſtoph. Sturmius in Diſſert. de *Carteſianiſmo*, oculis ſe eum uſurpaſſe *pag.* 165. refert, & teſtatur, *fuiſſe Spinoſam miſerandum homuncionem, vitam egiſſe in obſcuro, neque tum auſum execrandas opiniones ſuas divulgare.* Inclaruit imprimis *Tractatu Theologico-Politico de libertate philoſophandi*; ut, ſub philoſophandi libertatis prætextu, ei ſuam impietatem eructare eſſet integrum, anſam verò hujus libri publicandi in præfatione Author ſibi fuiſſe profitetur mores & conſuetudines, paſſim in Eccleſiis Proteſtantium receptas; in quibus ſcilicet ex litibus lites ferantur & naſcantur, ſordida avaritia & ambitio dominetur, non honos & gloria Dei quærantur & naſcantur, ſed ipſi ſe Doctores apud populum vana gloria jactent; librum modo dictum, primum ſuppreſſo nomine edidit, & quidem, ut titulus prodit, *Hamburgi*, apud *Henricum Künrath*, cum eodem tempore, ſcilicet Anno 1670. nemo ibi ejus nominis, nedum Bibliopola, vel Typographus inveniretur; viciſſim verò anno quoque 1684. ſpecimen artis ratiocinandi eodem inſtitutore Pſeudonymo prodiit, utique ejuſdem illius ſpinoſiſſimi ſcriptoris; in eodem enim refellit, nonnunquam *Blyenburgium*, qui lingua Batava Ethicam ejus perſtrinxerat, quam An. 1690. *Chriſtoph. Wittichius* examinavit. Cæterum Tractatum illum Theologico-Politicum refutare aggreſſus eſt pariter anonymus J. M. V. D. M. in Epiſtola ad Amicum, edita Ultrajecti ex officina *Cornelii Nonart.* Porrò hunc Tractatum à capite ad calcem confutavit *Regenerus à Manſfeld*, Profeſſor Philoſophiæ olim Ultrajectinus. Poſt obitum *Spinoſæ*, à diſcipulo ſuo quodam, edita fuerunt Opera poſthuma ejuſdem, in quarto, in quinque libros diviſa: primus ejus *Ethicam*, ſecundus *Politicam*, tertius *de intellect humano melius dirigendo*; quartus continet *varias Epiſtolas* ad Viros doctos, & ab illis

ad eum datas; quintus libellus est *Grammatica Hebræa*. In Ethica Geometricè procedit, qui postquam definisset Substantiam, esse Ens per se subsistens; inde deduxit unicam in Mundo esse substantiam scilicet DEUM, quo nomine indigitandæ veniunt omnes creaturæ, cujuscunque sunt generis, simul sumptæ; & hoc falsissimo & infirmissimo fundamento innituntur omnes ejus demonstrationes *Orobius*, Medicus Judæus Amstelodamensis omnia *Spinosæ* scripta confutavit; quæ manuscripta apud *Orobii* nepotes servantur, ut retulit mihi *Dn. Meza*, Rabbinus atque Medicus Amstelodamensis Celeberrimus. Porrò *Velthuisen*, atque *Poiret* solidissimè *Spinosæ* impietatem corripuerunt, nec non Doctissimus *Johannes How*, idiomate Anglicano, libro, cui titulus, *The Living Temple*, acutissimè impietatem ejusdem atque absurditatem patefecit & refutavit.

§. II. *Spinosa* autem dogmata ab *Hobbesio* hausisse dicitur. Deum autem & Naturam esse synonyma, multi inter priscos tradiderunt, vid. *Albert.* in 1. *phys. tract.* 3. *lib.* 13. apud *Bailium*, "Alexander Epicureus dixit, Deum esse materiam, vel non esse extra ipsam, & omnia essentialiter esse Deum, & formas esse accidentia imaginata; & non habere veram entitatem, & ideò dixit idem esse substantialiter, & hunc Deum appellavit aliquando Jovem, aliquando Apollinem, aliquando Palladem. Et formas esse peplum Palladis, & vestem Jovis; & neminem sapientem dicebat ad plenum revelare posse, ea quæ latebant sub peplo Palladis & sub veste Jovis." Sed inter *Spinosam*, & aliquos veteres Atheos hæc una differentia, quod illi raptim & confusè, hic magis prolixè & systematicè. Quando-

doquidem ergo, Dei negare exiſtentiam, *horrendum facinus!* eſſe fatetur ipſemet præfationis operibus Spinoſæ præfixa auctor; cujuſmodi *revera in Sapientes ne cadat, ne cadere poſſit*, omnem movet lapidem, qui præ cæteris mortalibus ſapere & ſibi & diſcipulis ſuis videatur. Cæterum mera ſunt æquivocationum ludibria, quibus fucum incautioribus facere ſtudet ſceleratus Nugator. Etenim DEUS, cujus exiſtentiam videri vult agnoſcere, non eſt ei Supremum illud Numen, à quo, tanquam à primo auctore, ſive primâ causâ efficiente, (ut in Scholis loquimur,) omnia condita eſſe, omnia conſervari ac gubernari, immoto animorum conſenſu nos credimus, & evidenter ſcimus: Sed Dei nomine naturam intellige, id eſt, Univerſum hoc, ſive quicquid ambitu ſuo cumplectitur hic mundus, ex ſe ipſo & per ſeipſum ab æterno exiſtens, nec ullam ſui cauſam externam, ſive efficientem, ſive fatalem agnoſcens. Quam monſtroſam opinionem licet initio occultare ſtuduerit auctor, edito tamen Tractatu Theologico-Politico, non ita diſſimulare potuit, quin ſagaciores illam lectores odorarentur, & quamquam in Epiſtola XXI. *Tota eos via errare ſcribat, qui putant, Tractatum Theologico-Politicum eo niti, quod Deus & Natura unum & idem ſint*, mera tamen rurſum id impoſtura eſt, fallitque ambiguitate vocis *Naturæ*, auctor, qua cenſores ſuos *maſſam quandam, ſive materiam corpoream* innuere ait, quum ipſe, in nota marginali illius ipſius Tractatus, *cap. 6. p. 69.* lectorem obſervare jubeat, *ſe per Naturam non intelligere Solam Materiam, ejuſque affectiones, ſed præter materiam alia infinita*; puta, ipſum hoc Univerſum, quod omnia junctim entia cujuſcunque tandem indolis & conditionis, complectitur. Simili fallit æquivocatione, quando Deum vel Dei eſſenti-

am, omnium rerum causam esse asserit. v. gr. *tract. Theol. Politici, cap.* 4. & aliàs sæpissime. Neque enim hoc eo sensu affirmat, quo à sanæ mentis Theologis & Philosophis communi suffragio docetur, sed ita id explicat in Epistola ad *Oldenburgium*. *Deum omnium rerum causam immanentem, ut aiunt, non verò transeuntem statuo. Omnia, inquam, in Deo esse, & in Deo moveri, cum Paulo affirmo, & fortè etiam cum omnibus antiquis Philosophis, licèt aliò modo.* Ubi quùm per causam transeuntem haud dubiè eam auctor intelligat, quæ actione transeunte aliquid extra se suamque essentiam producit, & aliàs causa efficiens *externa* dici solet, talemque causam Deum respectu creatu rarum esse negat, planum est, quod communem orbis & Christiani & non Christiani de DEO, omnium rerum auctore, conservatore, gubernatore, sententiam rejiciat. Quod verò ait, Deum esse omnium rerum causam *Immanentem*; id nemo aliter facilè poterit accipere, quàm esse quidam Deum causam creaturarum efficientem; sed *interiorem*, sive talem, cujus effectus in ipsa causa, non extra illum existit. Vel etiam, esse causam earundem *per emanationem*, à qua effectus immanenter per necessariam perpetuamque dependentiam emanat; uti v. gr. ignis causa est sibi inexistentis caloris; aqua inhærentis frigoris; Sol intra se productæ lucis. Quæ posterior expositio ad *Spinosa* mentem eo accedere videtur propius, quod Ethicæ suæ parte IV. in Schlio propositionis I. Ille scribit, omnia ex naturæ divinæ necessitate sequi, & parte I. corollario propositionis XXV. res *particulares* nihil esse nisi Dei *attributorum affectiones, sive modos, quibus Dei attributa certo & determinato modo exprimantur.* Verùm enim vero, si paulò intimius auctoris placita scrutemur, genuinam ejus sententiam esse comperiemus, quòd

Deus

Deus sit ipsa Natura sive Universum hoc, idemque ad Entia determinata aliter se non habeat, quàm totum per aggregationem ad patres, quibus constat. Deus namque & Natura ei passim sunt synonyma; & quod nunc huic, idem mox illi tribuere; imò partes Naturæ, ipsius Dei Divinæque Essentiæ partes, conceptis verbis appellare non dubitat, in Demonstrationibus suis Ethicis. Sed ipsa luce clarius evadat, *Spinosam* non agnoscere DEUM, qui mundi hujus Conditor sit, eundemque gubernet & ipsi prospiciat, supra allatis testimoniis adjicimus locum alterum ex appendice Ethices, ubi palàm in eos invehitur homo extremè profanus, " Qui credere non potuerunt, creaturas seipsas fecisse; " Sed concluserint, dari aliquem, vel aliquos Naturæ rectores, humanâ præditos libertate, qui ipsis " omnia curaverint, & in eorum Usum omnia fecerint. Atque horum etiam, ait, ingenium, " quandoquidem de eo nunquam quid audiverunt, " ex suo judicare debuerunt. Atque hinc statuerunt Deos omnia in hominis usum dirigere, ut " homines sibi devinciant, & in summo ab iisdem " honore habeantur; unde factum, ut unusquisque " diversos Deum colendi modos ex suo ingenio excogitaverit, ut Deus eos supra reliquos delegerit, " & totam naturam in usum cœcæ illorum cupiditatis & insatiabilis avaritiæ dirigeret. Vide quæso, (ita pergit,) quo res tandem evasit! inter tot " Naturæ commoda, non pauca reperire debuerunt, " incommoda, tempestates scill. terræ motus, " morbos & alia: atque hæc statuerunt propterea " venire, quod Dii irati essent ob injurias sibi ab " hominibus factas, sive ob peccata in suo cultu " commissa, & quamvis experientia indies reclamaret, ac infinitis exemplis ostenderet, commo-

"da atque incommoda piis æque ac impiis promis-
"cuè eximere, non ideo ab inveterato præjudicio
"destiterunt —— pro certo statuo, Deorum Judi-
"cia humanum captum longissimè superare. Quæ
"sanè unica fuit causa, ut veritas humanum genus
"æternum lateret, nisi Matheseos aliam veritatis nor-
"mam hominibus ostendisset". Hisce omnibus non obstantibus, adeò est impudens ac sine fronte maledictus illus hypocrita, inquit *Kortholt*, ut negare ausit, quidquam docuisse, quod pietati, bonis moribus, & religiosæ virtutis praxi possit derogare. Alia ejus dogmata, sc. nullos esse Diabolos, vel Spiritus, nullum Cœlum, vel Infernum; nulla esse præmia aut supplicia, Corollaria sunt ex superiori dogmate sua sponte emanantia, neque necesse est, ut ea persequamur. Hæc itaque dicta sunto de *Spinosa*. Si quis plura scire cupiat, adeat *Baylii* Lexicon; *Hartnactium* de hæresiarchis, *Kortholt* de tribus Impostoribus; *Fagerum*, qui fuse ejus dogmata enarrant; *Emanuel Weberus* cum tamen scripto germanico defendere conatur.

Anno 1688. *Casimirus Leszynsky Podsedek Brzesky*, Nobilis Polonus, in carcerem conjectus est ab Episcopo Wilnensi sub prætextu, quòd, quia Deum negaret, omni jure esset destitutus. Hic quidem protestatus est contra tales injurias sibi illatas, cum nondum sit convictus, atque accusabat Clerum, quod inquisitionem Hispanicam introducere vellet. Clerus verò contra, eum reum facere cupiebat, non solum Atheismi, sed etiam, quod dixerit, matrimonium sacrum nihil nisi nudum esse pactum, & affinitatem non officere, contractioni matrimonii. Quapropter etiam filiam suam cognato cuidam nubi voluit, ob quam causam excommunicatus esset. Sed ut majorem speciem acquirerent hæ accusationes, scriptum quoddam

dam producebatur 15. paginarum, in quo argumenta contra Dei exiſtentiam collecta erant, & ſimul hoc legebatur: *Deus non eſt creator hominis, ſed homo eſt creator Dei, quia Deum ſibi finxit ex nihilo*; ex quo manifeſtum eſſe putabant, hunc verum eſſe Atheum.

Senatores Reipubl. proteſtabantur contra hunc proceſſum judicii Eccleſiaſtici, quia antea cognitionem cauſæ habere debuiſſent. Sed his nihil moratis, illud judicium pergebat, & accuſabat hunc hominem coram Fiſco Lithuanienſi, cui etiam ſe ita declarabat; "Divinam majeſtatem agnoſco ac veneror, in vicaria ſui Chriſti majeſtate; Ego adoro eum, qui eſt "creator, rector & conſervator mundi, ego verò "ſum miſera creatura. Simul malam corporis ſui conſtitutionem excuſabat, ita, ut lingua ejus palato adhæreret, quare Advocatum ſibi concedi petiit. Porrò etiam contra accuſatores ſe defendebat: "Ego "credo Deum eſſe, & quæ ſcripſi, non meo nomine ſcripſi, neque iis aſſentior; ſed ideò omnia, "quæ alii ſcripſerunt, colligebam, ut in altera parte refutarem, & nova argumenta proferrem ad "veram Dei eſſentiam confirmandam. Quod vero "adjeci, *nos Athei credimus*, ideo factum eſt, quia "Atheum loquentem introducebam. Sæpius miratus ſum, quod Alſtedius tam levia argumenta attulerit pro exiſtentia DEI, & ob hanc cauſam ea "annotavi:" Inſimul adduxit fortiora argumenta coram Judice pro exiſtentia Dei, quam alias leguntur. Advocatus ejus oppoſuit exceptionem termini illegitimi, quod non legitimè citatus & incarceratus fuerat, cui verò per decretum regale os occluſum eſt, & ultimus terminus ad cauſam dicendam brevis ſatis indicabatur. Tunc Advocatus iterum probabat, accuſatum nulla laborare pertinacia in voluntate, neque

neque errore in intellectu, siquidem tantummodo aliorum sententias exscripserit sine approbatione, sed potius cum proposito eos refutandi. Cùm præterea hic sensus ex ipsius vitæ curriculo satis appareat, quod teste toto comitatu, Christiano more peragebat, quid quod enim brevi ante suam captivitatem cœna sacra utebatur, & largas Eleemosynas porrigebat. Scripta sua reliqua, jam verò à suis accusatoribus surrepta, multas quoque pias meditationes continere. Denique pollicitus est, hæc omnia jurejurando confirmare, & gratiam implorabat.

Sed accusatores pertinaciter instabant, lachrymas accusati fictas appellabant, bona opera non effectus esse fidei, gratiam & condonationem Regis nullam esse, quia sine justitia maxima esset Tyrannis. Ad quod accusatus demum respondit: se debere esse, uti surdus, & nullius criminis sese esse conscium.

Deinde petebat, ut sibi concederetur, se in cœnobium conferre, ubi innocentiam suam palàm facere vellet. Sed nihilominus morti adjudicabatur, 16. Martii An. 1689. coactus est palinodiam canere in Ecclesia & Regis gratiam implorare. Quo facto die 28. demum supplicio adjudicatus est, & Rex ipsi ex gratia concessit, ut gladio decollaretur. Quæ decollatio die 30. Martii facta est, corpus verò ejus in cineres reductum sicque tormento injectum, ex ipso versus Tartariam explodebatur. Ut plenius demonstrarent, hunc fuisse Atheum, hoc Epitaphium allegarunt, quod sibi ipsi fecisse dicebatur.

Hem

Heus Viator!
Lapides istos cave prætereas;
Nihil ad hos offendes, nisi veritate offendaris,
Disces à Saxis,
Verum:
Quod homines, etiam qui sciunt, id esse verum,
docent esse falsum.
DOCTRINA SAPIENTUM PRUDENS
est mendacium.

§. III. Sub idem tempus *Matthias Cruxius*, referente *Hartmaccio*, Holsatus, vel, ut alii tradunt, è tractu Esderstandensi, qui ad Slesvicensem Ducatum pertinet, oriundus, eo dementiæ processit, ut divina prorsus & humana tollere & exturbare orbe conaretur. Dialogos nonnullos sparsit, quorum præcipuo *Henricum* quendam *Brummerum*, qui sanè, ater an albus sit fuerit ve, necdum compertum habeo, (inquit *Hartmannus*) suas defendentem partes introduxit. Vagus tandem in superiori Germania, schedas suas disseminaturus, in Academiam quoque Jenensem pervenit, ubi in lucem protractus à primario tum temporis Theologo D. *Joh. Musæo*, qui adversus illa nefanda dogmata Germanico idiomate singularem librum edidit. Ejus dogmata huc redeunt. (I.) Non esse DEUM, neque Diabolum. (II.) Magistratum nihil æstimandum, templa contemnenda, sacerdotes ejiciendos. (III.) Loco Magistratûs & loco sacerdotum esse scientiam & rationem, cum conscientia conjunctam, quæ doceat honestè vivere, neminem lædere, & suum cuique tribuere. (IV.) Conjugium à scortatione nihil differre. (V.) Unicam esse vitam: Post hanc, nec præmium, nec pœnam dari. (VI.) Scripturam S. secum ipsam pugnare:

id

id in Epistola quadam expedire cupit, quam hoc loco exhibemus,

Amicus Amicis Amica.

" Demiratus hactenus sæpiuscule, qui fieret, quod " Christiani, id est, rotarum in modum uncti, se- " cum discordent, & nunquam non altercationis " ferram reciprocent, jam demum cesso demirari; " cùm intellexerim, eorum canonem quoque & fun- " damentum, quod Biblia nuncupant, secum peni- " tus dissonare & vacillare: possem equidem id vel " sexcentis per omnes, qua Veteris, qui Novi In- " strumenti libros statuminatum ire exemplis; sed " metus est, ne forteam legentibus argumentorum " multitudine nauseam creem, idcircò paucis dun- " taxat in medium proferam: ut ea à lecturienti- " bus eo melius possint ponderari. Nihil hic dicam " de mensuris, quarum mentio est 1 *Reg.* 7. v. 26. " & contra 2 *Paral.* 4. v. 5. quæ è diametro (si quid " judicare possum) sæpenumerò contrariantur; nihil " etiam dicam de personis, verbi gr. Si conferas " *Gen.* 26. v. 34. cum *Gen.* 46. v. 2. ibi enim Bos- " math, Esaui uxor, dicitur filia Elon Hethitæ, his " verò Ismaelis, & id genus alia, de quibus alii. " Adde, quod in iisdem Sacris ejusmodi æquivoca " reperiantur vocabula, quæ non dnas (quod non " inusitatum est) sed novem, imò planè decem ad- " mittant significationes, v. gr. *Lex*, *Spiritus*, *Mun-* " *dus*, &c. ut prorsus non detur certitudo in vero " sensu indagando, quicquid etiam Canonum super " Canonem istum *Scharffius*, *Walther*us, & alii *uncti* " cum minitentur. Quæ cum ita sint, Amice, ne- " mo hominum vitio mihi vertet, si unà cum meis " gregalibus (quorum innumerus mihi numerus Lu-

" tetiæ,

" tetiæ, Amſtelodami, Lugduni, in Anglia, Ham-
" burgi, Hafniæ, nec non Holmiæ, imò Romæ, &
" in contiguis locis adſtipulatur,) Univerſa Biblia
" bellæ fabellæ loco habeam, qua belluæ, id eſt,
" Chriſtiani, rationem captivantes, & cum ratione
" inſanientes delectantur. Inſuper DEUM nega-
" mus, Magiſtratum ex alto deſpicimus, Templa
" quoque cum omnibus Sacerdotibus rejicientes.
" Sufficit nobis Conſcientiariis Scientia non unius,
" ſed pluriorum, *Luc.* 24. *v.* 39. videte, &c.
" (ἐ ἐις enim ἀνὴρ ἀ πάντ' ὀρᾶ) & conſcientia, conjunctim
" accepta. Hæc enim conſcientia, quam benigna
" nimirum mater Natura omnibus indidit homini-
" bus, nobis loco Bibliorum, ad *Rom.* 2. *v.* 14, 15.
" loco Magiſtratus, eſt enim tribunal, teſte *Grego-*
" *rio Nazianz. Tom.* 2. *Orat.* 15. in plagam grandinis
" *ſp. m.* 247. *B.* & loco Sacerdotum eſt, docet nam-
" que hic Doctor, neminem lædere, honeſtè vivere,
" & ſuum cuique tribuere. Hæc, inquam, ſi male
" fecerimus, loco mille tormentorum, imo infer-
" ni; ſin bene, loco cœli, *quamdiu hæc unica vita*
" *ſuperat*, ſemper erit. Hæc, conſcientia ſcilicet,
" nobis naſcentibus naſcitur, hæc etiam nobis in
" morte pereuntibus perit. Hæc ſunt principia
" nobiſcum nata, & qui illa rejicit, ſeipſum rejicit
" De quibus omnibus fuſius in poſterum me tractatu-
" rum ſpero. Interibi de omnibus Chriſtianorum
" fidei articulis, cum omnibus meis fratribus per-
" dius & pernox in ore gero.

Scribebam Romæ 6. Kal.
Martii.

Credant hæc Cunctæ,
Uncti & Uncta,
non ego,
MATTHIAS CNUZEN,
Holſatus.

" *P. S.*

" P. S. Hæc Epistola plus millies descripta est, " & si Magistratui, Sacerdoti vel Christiano de his " literis judicandum venit, perinde est, ac si quis ex " picture quæreret, utrum picturæ? Ex Organædo, " utrum Organa Musica Pneumatica in æde sint to- " leranda? ut hi, sic illi Judices aliquid affectibus " dare consueverunt. *Vale.*

Talis etiam Atheus, cum rabie insaniens, videtur fuisse non ita pridem Studiosus quidam Juris, nomine *Jacobinus Gebhardus Rom.* Gluckstadiensis Holsatus, qui Wittebergæ seipsum suspendit, hoc scripto in Musco suo relicto: " Tædio finem quæro vitæ " miserrimæ, injecto laqueo, redigendus in id, ex " quo originem duxi meam; Judicium eorum, qui " me nescio qui relegatum putavint, contemno. Ani- " mus namque nostra mortalis est; Religio ad vul- " gus pertinet, inventa scilicet ad decipiendos homi- " nes, eosque melius regendos: neque verò sic senti- " ens, jure videor vocandus Atheus. Quis enim D. H. V. M. esse sanæ mentis homo negat? ut vere " ea, quæ vulgo de religione traduntur, à Sacerdo- " tibus doceantur, ratio, ut aiunt, postulat status. " Qui aures habet, audiat. Mundus regitur opi- " nionibus. Sed sat sapienti! non enim omnes hoc " verbum capiunt. In me sepeliendo velim agatur " humaniter, quamvis enim impensæ sumptus nullum " est dubium, quin à me restituantur. Quibus cum " gratiarum actione meo nomine pro tam infinitis " beneficiis, ab initio vitæ usque ad hanc infelicem, " imo felicissimum diem in me collatis, finul extre- " mum valedicetur, sed trahor ad fata. Neque " equidem amplius possum sine lachrymis de illis " cogitare, inque hac morte, vitâ inquam, sine ex- " tremis

" tremis cordis anguſtiis diutius permanere. In-
" vaſi DEUM calidiſſimis precibus ante diſceſſum
" meum, fuſis etiam lachrymis, ideoque confido,
" eum ex infinita ſua miſericordia, in gratiam me
" recepturum; nolite me condemnare, ne ipſi rurſus
" condemnemini.

Huic ingeniosè his verbis nonnullus reſpondit:

Reſpice finem quisquis
Divinam Magiſtratus authoritatem ludibrio,
Sacerdotes pro impoſtoribus,
animam pro fumo,
Religionem pro fabula imo pro decipula habes;
en;
Atychus Eutycho politus fidei tuæ ſocius,
finem fidei ſuæ,
finem reportavit.
Si in nihilum, ut putas, redigeris?
Quid curas, quo paſto corpus pereat?
In terra, flamma, in ventre avium,
ferarumque
Nihil intereſt, ſi anima mortalis?
unde Anguſtiæ? Terrores?
ſi Religio nulla eſt,
Quid calidiſſimæ preces? quid fuſæ lacrymæ?
Infidelis fides, Dominum agnoſcere,
ſervitutem negare, DEUM confiteri:
Religionem impugnare, atque DEUM non negare?
Credo *hujus Seculi*
Deprecaris eum ut conſtet, ſcilicet:
Etiam inſerre id: genua coram DEO incurvanda,
Nunc Juda, Lucias, dubita utrum vera ſunt
quæ Peſtores dicunt.
Ras & ſpes tua credibilis ad reſtim,
Teſtamentum ſcribit Litera longa Fauis.

Ad-

Adjungenda hic historia insignis, è libello, de statu Imperii Turcici deprompta, idiomate Anglico conscripto, authore D. *Ricaut*, quæ sic habet: " Illi, qui inter Turcas Atheismum profitentur, " *Musarini* nominari gestiunt, (i. e.) qui habere " penes se verum secretum: cujus secreti summa " hic redit, DEUM nullum agnoscere, atque con- " stanter affirmare, principium internum aliquod " cujusque individui, cursum omnium rerum diri- " gere. Sol, luna, atque astra cætera inde habent " originem atque motum, neque hominis dissimilis " est ratio, pullulat enim, crescit, viret, denique " marcescit, non secus atque herbæ, cæterique " flores. Mirum & incredibile dictu, quantus eo- " rum numerus sit *Byzantii*, qui hanc fovent opi- " nionem, quorum maxima pars in scriptis Arabum " versatissima, & dignitate *Cadissi*, seu Judices, re- " liqui sunt Christiani profugi, & apostatæ, qui " conscientiæ morsibus atque exprobrationibus ex- " agitati, propter renunciationis scelera, nihil ma- " gis volunt, quam ut cum hoc mundo spectabili " omnia finiantur. *Mahomet Effendi*, Vir in literis " Orientalibus apprimè doctus, atque hujus opinio- " nis propugnator acerrimus, supplicio publico est " affectus, dum essem Byzantii, propter varias " blasphemias contra existentiam Dei ab eodem ju- " giter effusas. Ad suam impiam opinionem stabi- " liendam, hoc argumento uti solebat: *aut* nullus " est *plane* DEUS, *aut non est tam potens*, neque " tam sapiens, *quam ille à nostris Doctoribus esse per- " hibetur; alioquin me, qui odio & contemptu ejus ex- " istentiam lacesso, exagito, & persequor, si quis ullus " alius mortalium, maximo, non tam diu vivere per- " misisset.* Et, quod mireris, tametsi posset vitam

" re-

" redimere, Si meliora in futurum profiteri pollice-
" retur, abhorrendo à tam impiis opinionibus, con-
" ditionem tamen planè respuit, dicens, se potius
" moriturum pro veritate, licet benè noverit, sibi
" nulla manere præmia.

" Fateor, (pergit author) me olim credidisse,
" nullum dari Atheum, satis persuasus, existentiam
" Numinis demonstrari posse ex lumine naturali;
" sed incredibilis hujus hominis pertinacia me clarè
" docuit, esse etiam homines, qui horrendum in
" modum omnia rationis lumina & sensum supremi
" Numinis prorsus extinxerint. Hujus sectæ ve-
" nenum ita est subtilis, ut Eunuchos, Fœminas,
" Præfectos infecerit, & in aulæ usque penetralia
" irrepserit. Qui hanc sectam colunt, mirè se in-
" vicem diligunt, humani sunt & affabiles, fidei
" hujus socios libenter hospitantes, quos postquam
" lautioribus conviviis acceperint, noctu illis offe-
" runt elegantis formæ socias atque amabiles, quan-
" do tempus est eundi cubitum. Ajunt Sultanum
" *Morat* mirum in modum faviisse huic Sectæ & in aula
" & militia, quamvis inter vulgus aliam Sectam,
" austeram pietatem præ se ferentem, *Zadezadelis*
" vocatione, promoveret. Huic valde similis apud
" *Senenses* est Secta decantatissima *Literatorum* dicta,
" in rebus gerendis versatissima, ideoque à Rege in
" pretio habita; quamvis mundum hunc aspectabi-
" lem æternum & incorruptibilem credat; neque
" ullum agnoscat Numen, ab ejusdem materia &
" compagine distinctum; omnemque de animæ fu-
" turo statu doctrinam susque deque habeat, ac vel-
" uti politicè excogitatam, sibilo explodat.

Habetur quoque apud Illustrissimum *Leibnizium*, *lib. Theodicæ p.* 15. historiam non dissimilem: " L'aneantissement de ce qui nous appartient en

"propre, porté fort loin par les quietistes, pour-
"roit bien etre aussi une impieté chés quelques uns:
"comme ce qu'on raconte du Quietisme de Foë
"auteur d'une grande secte de la Chine, lequel apres
"avoir prêché sa religion pendant quarant ans, se
"trouvant proche de la mort, declara a ses disciples,
"qu'il leur avoit caché la verité sous le voile de
"la metaphore, & que tout se reduisoit au neant,
"qu'il disoit etre le premiere principe de toutes
"choses." Mentionem denique facit *Arnoldus Montanus*, in America Sectæ *Cerveces* nomine, cujus patroni DEUM esse negant, sed omnia sua lege & gubernari fatentur. Sed quicquid in Philosophorum Sectis, incredibile prorsus est gentes integras sine DEO, sine Lege, & sine ratione vivere. De veteribus quidem *Callaecis* sub gente Hispanica vulgo comprehensis narrat *Strabo* lib. III. [illegible], quidam *Callaecos* non agnoscere DEUM ajunt, sed suspicari licet, hoc inde fluxisse, quia nulla haberent simulachra in templis, quod & aliis nationibus commune erat. Sunt qui de *Brasilensibus* hoc tradiderunt, sed meliora edocti jamdudum famam mendacem viri eruditi deseruerunt. vid. *Joh. Ludov. Fabricius* Apologeticum pro genere humano contra Calumniam Atheismi, ubi attenditur, rudem forte obscuramque divina tractandi & enuntiandi rationem, penes barbaras gentes observatam pro Atheismo fuisse habitum; sed *Bekius* generatim hanc opinionem approbat, ratus Scriptores itinerum, præstantissimæ famæ viros, jam dudum in agrico posuisse, quod Atheæ gentes in America invenirentur: Sed venire illi in mentem debebant quæ, ex Scriptoribus non deterioris famæ in contrarium partem attulerunt alii. Propter hanc variasque opiniones existentiæ & attributis Dei parum faventes, scripti a multis

tis impietatis accusatur, & hoc certum est, hunc Scriptorem elegantissimum, magni ingenii gloriam turpi philosophandi licentia deturpasse in perpetuum.

Sunt plures qui *Campanellam* quoque accusant impietatis propter varias infrunitas opiniones in libro de *sensu rerum*; ubi & quatuorum Elementis vitam tribuit atque sensationem, imo saxis metallisque singulis sensum inesse statuit. *Ego*, inquit, *Thomas Campanella, quatuor de sensu rerum libros scripsi, maximè necessarium ad ostendendum DEUM esse contra Atheos, ejusque statuam & similacrum, non autem corpus esse mundum visibilem contra Mar. & Plin.* &c. *Defens. lib. de sensu rerum* p. 27. *Wendelinus* de illo scribit: "inter præcipuos superioris seculi Naturalistas "refert quoque Philosophia sua nimis acuta *Thomas* "*Campanella* promeretur —— potuit adeò acceptus "Regi Galliæ, ac Regni proceribus, ut scripta "ejus à Doctoribus Sorbonicis in lucem publicum "protracta manu clementissima acceperint; dicet "in iis de sanctissimis Christianæ fidei mysteriis, ei"usis suis speculationibus acutè quidem satis, sed "tamen impiissimè ac maximè blasphemè senserit."

CAPUT XI.

§. 1. HÆC itaque sunt, quæ de omnium temporum Atheis maximè famosis commentari hac vice visum est, ubi, ut res ipsa loquitur, propositam nobis non fuit, vel veram contra Atheos Ecclesiæ sententiam operosè confirmare, vel quibus ea oppugnatur adversæ partis argutias in Examen

nocare curiosius, quod ferias heic fecerint nobis Viri doctissimi, qui de industria contra Atheisticam impietatem pro veritate Christianæ Religionis libros dudum ediderunt, ex. gr. *Gisbertus Voetius. Petr. Dan. Huetius* in demonstratione Evangelica. *Theoph. Spitelius* Scrutinio Atheismi, de Atheismi radice, it. Epistola ejus de extirpando Atheismo; quæ respondet ad *Antonii Reisneri* Dissertationem Epistolarem ad *Spizelium* de Origine, Progressu & Incremento Atheismi. *Johannes Lassenius* in victo Atheismo. *Theodorus Vander-Eyke* de stultis Atheistis. *Matthæus Hola* de Originali proventu humani generis, item *Henrici Schmettani* Præfatione de Atheismo. *D. Fabricii Wagneri* Examina elenctica Atheismi speculativi. *Abrahi Hinckelmani* disput. de Atheismo. *D. Joh. Musæus* Introduct. in Theologiam naturalem, ubi Part. II. cap. 5. Sect. 2. p. 394. Tractatum *Spinosæ* de libertate philosophandi, præsertim quod mentorem eum miracula attinet, aggressus est. *Mersennus* Comment. in Genesin. Sic etiam *Hugo Grotius, Marsilius Ficinus, Philipp. Mornæus*, & *Abbadiæ* in scriptis eorum de Veritate Relig. Christianæ. Idem *M. F. Dubois* Preuvez & Prejugez pour la religion Chretienne; & Reverendi Episcopi *Edvardi Stillingfleeti* Epistola ad Theistam, qua Religionis & sacrarum literarum Veritas vindicatur. *Malebranchii* Conversationes Ecclesiasticæ, quibus Veritas Religionis & disciplinæ Christianæ asseritur. Discours contre les Atheès par *M. Tillotson* Archeveque de *Canterbury*. Conciones Gallicæ D. de Superville. *D. Sam. Parkeri* disput. de D E O. *Burcheri de Valder* disputat. Philosophicæ de Atheis. *Dn. de la Serre* Sepulchrum Atheistarum. *Joh. Lud. Fabricius* Apologeticum pro genere humano contra Atheismum. *Joh. Sam. Pufendorff* de Jure Nat. & Gent. passim.

passim. *Frider. Spanhemius* in selectis de religione controversiis. *Rudolph. Gottfr. Kuchen*, in Opere Politico. *Bentleyus* contra Atheos. *Cudworthii* Systema intellectuale Anglicé. *Joh. Paul. Hubenstreit* Theologia naturalis. Sicut enim Gallica & alia Scripta à Dn. *de Seckendorff* de statu Christian: Cui annecti potest *Frid. Weisii* lumini gratiæ, prælucens lumeu naturæ, ubi ex natura tantum, veram religionem probare conatur: sed nimium tribuebat naturæ, cum nobis lumine gratiæ jamjam donatis, facile sit talia invenire, quæ gentiles naturaliter optimi & honestissimi nunquam invenissent. *Spinosam* refutavit *Henric. Morus*, *Manseveldus*, *Lambert*, *Velthuysen*, *Bleyenburgius*, *Petrus*, *Poiretus* *Abbadius*, *Christ. Wittichius* & *Petrus Yvon*; qui postremus *Cartesianos* & Patr. *Malebranche* adortus, probare conatur, *Spinosam* venenum suum ex *Cartesii* Principiis suxisse. Et pro viribus eorum impietatem propalare, & patefacere, ut Atheorum esca, verborum lenocinio, æquivocatione, & fraudibus temperata, capiat & inficiat imbecilles incauterum animos.

§. II. Sed antequam manus tollamus ab hac tabula, adjiciemus historiam unam vel alteram, quibus pateat ab hoc fermento, Atheorum aliquos divina misericordia & assiduitate amicorum fuisse liberatos. Notissima est historia *Francisci Junii*, qui in sua vita de seipso sic scribit: "Memini, quum libros M. "Tullii de legibus per illud tempus, auctore & "suasore Barthol. Anulo, *Gymn. Rect.* expenderem, "& notas quasdam in eos animadversiones que colligerem; venire hominem quendam ad me, & illa "Epicuri verba, quæ libro primo exstant, nihil "curare DEUM, nec sui nec alieni, multis quam "diligentissime confirmare: ad quæ ego non ratione

judicioque certe respondebam: sed assensionem paulatim adhibens, sentiebam venenum serpens, quod imbiberam, confirmari in me: Et cum auctoritate hominis, tum argutiis dictorum ejus præceps eo deferebar, ut meus animus in isto malo hærens, occalleseeret, totusque fieret *animus*. *Modum vero liberationis sic habeto suis verbis.* Hic ergo Novum illud Testamentum divinitus oblatum reperio: aliud agenti exhibet se mihi aspectu primo augustissimum illud caput Johannis Evangelistæ & Apostoli, In principio erat Verbum, &c. Lego partem capitis, & ita commoveor legens, ut repente divinitatem argumenti, & scripti majestatem auctoritatemque senserim, longo intervallo omnibus Eloquentiæ fluminibus præeuntem. Horrebat corpus, stupebat animus, & totum illum diem sic afficiebar, ut qui essem, ipse mihi incertus viderer esse. Recordatus es mei, Domine Deus mi, pro immensa misericordia tua, ovemque perditam in gregem tuum recepisti. Ex eo tempore, quum in me Deus tam potenter Spiritus sui virtute irrupisset, alia frigidius & negligentius legere & tractare cœpi: De his vero quæ ad pietatem pertinet cogitare amplius, & ardentius in eis versari.

§. III. Quæ sequitur Historia non est minus notabilis. "N. N. Gente Italus, Patria Consentinus, "Franciscani Ordinis Monachus, postquam varias "in Ecclesia Romana fraudes detexit, quibus circumvenire alios Monachi solent, imprimis Patres "Monasterii, in quo degebat, quippe qui ægre "ferentes Monasterium suum reliquis splendore "multo esse interius, hanc tandem excogitarunt,

" Caput Imaginis Christi in Cruce pendentis primò
" dissecarunt, deindè excavarunt, atque cavitatem
" cucurbita salita impleverunt, terebra facto fora-
" mine circa utrumque oculorum angulum, ut Sole
" caput irradiante, humor cucurbitæ salitæ effluе-
" ret; atque re mox publicata, populo persuase-
" runt, imaginem plorare, quod non eadem fre-
" quentia suum monasterium, atque alia visitarent
" & adorarent, imo totum ejus templum negligе-
" rent, ut sensim minaretur ruinam; quo facto po-
" pulus affatim confluens, munera non contemnenda
" apportavit, & lachrymarum guttas aliquas charo
" pretio redemit; atque ita Monachi paulò ante
" pauperrimi, facti sunt opulentissimi. Deinde Neapo-
" li in quodam Monasterio prope mare sito, aqua
" dulci per canales subterraneos, in locum aquæ
" marinæ diducta, atque sibi per orificia canalis
" magno satis cum impetu erumpente, populo
" Monachi persuaserunt, sanctam Mariam Virginem,
" æstimationem suam & amorem eo miraculo erga
" Monasterium demonstrare velle.

" §. IV. Post hæc de Veritate Religionis Romanæ
" dubitare cœpit Monachus, & mox quæ corde pres-
" sit publicare, motis contra pleroſque articulos du-
" biis; quod multis, imprimis ex Neapolitanis No-
" bilibus placuit, atque ab iisdem postmodum in se-
" cretum locum ductus, ubi magna hominum mul-
" titudo, præsertim nobilium convenerat, ubi disse-
" rentem, nesciebat ab initio quem, de omnium
" rerum ex fortuito atomorum concursu sine Nu-
" mine audivit, cujus existentiam Orator mox in
" dubium vocabat, mox negabat. Pedetentim ita-
" que in Atheismum incidit, præsertim postquam
" vidit se hoc pacto variis Nobilibus placiturum;

" & in eo tantum fecit progressum, ut excusso om-
" ni Numinis metu, contemptim de religione & ho-
" minibus religiosis subinde loquutus fuerit; tandem
" multis suspectus ad Inquisitorem delatus & in car-
" cerem est conjectus; neque alia via evadere potu-
" it, quam ficta palinodia, ita jubente Cardinale de
" Laurea.

§. V. " Quamprimum verò è carcere liberatus,
" aliorsum se conferre statuit, ubi tutius animi sui
" placita publicare sibi liceret, & quia putabat inter
" Reformatos, utpote homines nullius religionis
" (quoad ille audiverit) se fore tutissimum, ad eos
" transitum fecit; sed divina providentia factum,
" ut ad virum doctissimum pariter atque pientissi-
" mum accederet, qui ejus Atheismum citò detexit,
" purioris doctrinæ vere Christianæ Ideam sibi
" proponi vidit, ex quibus rebus factum est, ut non
" ita multò post, & Atheismum, & Religionem Ro-
" manam deposuerit, & quia adhuc forsan est in
" vivis nostram Religionem professus, nomen ejus
" consultò taceo. Vir optimæ fidei & inter Basile-
" enses Ecclesiastes eruditissimus, qui hoc Italo usus
" est familiariter, sua manu historiam hanc de-
" scriptam benevole mecum communicavit.

§. VI. *Tertia* historia erit illa *Roffensis Comitis*, con-
scripta à Venerando Præsule, Gilberto Burneto, Sari
Episcopo, in libello propter elegantiam, Latinè
reddito Ultrajecti 1698. cui titulus est: *Roffæ Comi-
tis inextremis delirium*, seu *pœnitentia salutaris*; ubi
narratur, quomodo Comes ille, cum profanam ac
belluinam vitam diu satis egisset, præsulis opera ad
Deum per veram pœnitentiam sit tandem conversus,
postquam prius ille huic sua cogitata, opinionesque

ac

ac præjudicia mala aperuerat; inter quæ illud occurrit, quòd cum de affectibus coercendis quæstio esset, quos Comes per rationem & philosophiam putabat coerceri posse; ubi respondérat Præsul, hujic principio ad subjugandas libidines, non satis inesse virium——nisi homo intra seipsum lege aliqua in officio contineretur. Hactenus, Cl. *Poiretus* Defens. libr. de Erudit. solidâ pag. 48. Insuper fessus est Rossensis Burneto, se vehementer faisse confirmatum in opinionibus suis Atheisticis, atque præsertim *de Mortalitate animæ*, postquam amici sui maximè intimi anima post mortem promissis non stetit; ante prælium enim navale contra Batavos, datis dextris sibi invicem promiserant, ut si alteruter malo fato fungeretur, & à vivis decederet, superstiti compareret, & quid in alio mundo ageretur, accuratè referret. Sed quam injustum & incongruum sit hoc postulatum multis verbis atque solidis docet Venerandus Episcopus; Animæ separatæ non sunt sui juris, neque planè convenit Majestati Divinæ identidem novis atque reiteratis miraculis, hominum libidini atque curiositati satisfacere. Hic lubet apponere Comitis moribundi ultima verba sinceræ pœnitentiæ plenissima: *For the Benefit of all those whom I have drawn into Sin by my Example and Encouragement, I leave to the World this my last Declaration, which I deliver in the Presence of the great GOD, who knows the Secrets of all Hearts, before whom I am now appearing to be Judged, that from the bottom of my Soul, I detest and abhor the whole course of my former Wickedness, and that I can never sufficiently admire the Goodness of GOD, who has given me a lively Sense of my pernicious Opinion, and vile Practices by which I have hitherto liv'd without Hope, and without GOD in the World; I have been an open Enemy to Jesus Christ, doing utmost despite to the Spirit*

of

of Grace. And that the greatest Testimony of my Charity to such, is, to warn them, in the Name of GOD, *and as they regard the Welfare of their immortal Souls no more to deny his Being or his Providence, or despise his Goodness, no more to make a mock of Sin, or contemn the pure and blessed Religion of my Redeemer, thro' whose Merits alone, I one of the greatest of Sinners, do yet hope for Mercy and Forgiveness.* Amen.

Declared in the Presence of
ANNE ROCHESTER,
ROBERT PARSONS.

Sealed,
J. ROCHESTER.

Quæ latinè sic sonant: " In communia mortalium " commoda, atque illorum imprimis, quos exemplo " meo & instigatione ad vitam dissolutam & depra- " vatos mores seduxi, ultima hæc & intima animi " mei cogitata, coram Deo pronuntio, qui secreta " cordium novit, & qui me mox judicaturus est. " Profiteor palam me ex animo, vitæ meæ cursum " hactenus male transactæ vehementer detestari, & " ab ea abhorrere quantum possum, maxime: fate- " or quoque me non satis posse Dei bonitatem erga " me admirari, quæ ut pleno aspectu errores mentis " & vitæ dissolutiones abundè ob oculos ut videam " mirè effecit. Hactenus etenim sine spe & sine " Deo, proh dolor! vixi; in odio habui Jesum " Christum; & Spiritum Sanctum, omnis gratiæ " authorem, petulanter contempsi. Quamobrem " omnes atque singulos hortor, precor, obsecro in " nomine Dei Immortalis (majora enim Charitatis " meæ argumenta dare non possum) si salus anima- " rum propriarum cordi sit, in futurum neque ex-

" istentiam

" iſtentiam ejus in dubium revocate, neque provi-
" dentiam negate, neque bonitatem ejus vilipendite,
" peccatum ut ſuſque deque habeatis, diligenter ca-
" vete, neque caſtiſſimam excellentiſſimam Redem-
" ptoris mei Religionem ſpernite; propter cujus
" ſola merita ego peccatorum maximus adhuc re-
" miſſionem peccatorum ſpero." Huic non diſſi-
mile eſt, quod de ſeipſo fatetur *Ruſſius Rabutinus* Comes, hujuſmodi pactum inter ſe & quendam *Junellum* interceſſiſſe, idque utrique tantopere fuiſſe cordi, ut quoties alter alterum morti eſſe propinquum exiſtimaret, identidem de exſolvenda hac poſt mortem fide commoneret. Ac cum poſtremò *Junellus* iſte diem obiiſſet, *Buſſius* ipſius ſpectrum per multas noctes avidè à ſe, & ſine ullo pavore fuiſſe expectatum commemorat; verùm id fruſtra, atque in caſſum. Et quanquam apertè non dicat, ſeſe hac re incœpta dubitatione eſſe confirmatum, tamen ita multis poſt annis vixit, ut haud eſſe pientiſſimum, facilè poſſet intelligi. Ipſe ſane in T. I. Epiſt. Gall. pag. 209. lecto libro Rev. *Abbadie* de Verit. Rel. Chriſt. ita ſcripſit: *Juſques icy je n'ay point eté touché de tous les livres, qui parlent de Dieu, & j'en voi bien aujourd' hui la raiſon. C'eſt que la ſourſe m'en paroiſſoit douteuſe, mois la voiant claire, & nette dans les livres de l' Abbadie, il me fait valoir tout ceque je n'eſtimois pas, &c.*

FINIS.

FINIS.